



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXII. De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS III.

Virum post peccatum ante Christum Sacramenta debuerint esse?

CONCLUSIO est affirmatiua: quia homines debebant ex Christi meritis iustificari, & proinde debebant fidem in eum quibuldam exterioribus signis profiteri.

Aduerte hanc congruentiam solum ostendere in antiqua lege fuisse Sacramenta in latiori significatione, prout Sacramentum idem est quod signum rei sacræ. Ceterum etiam in antiqua lege fuisse Sacramenta in vulgari significatione Scholasticorum inter autores constat, & res est certa, quam supponunt Concil. Flor. in decreto de Sacramentis, & Trid. sess. 7. can. 2. de Sacramentis in genere.

Porro non solum in lege scripta fuerunt Sacramenta, sed etiam in lege naturæ (de qua etiam intelligitur D. Th. resolutio) in qua constat fuisse Sacramentum circumcisionis.

Virum autem fuerint alia Sacramenta, inter auctores controuertitur, aliqui affirmant, videturque favore D. Th. responsione ad 2. & ad 3. ubi videtur docere sacrificium Melchisedech fuisse Sacramentum. Tenet Canus relectione de Sacramentis in genere, parte 3. Alanus lib. de Sacramentis in genere cap. 28. & quidam alij.

Plerique negant. Sotus dist. 1. quæst. 2. art. 3. post conclusionem. Valquez hic: sed de hoc commodius infra quando agetur de circumcisione.

Interim verius videtur sacrificium Melchisedech non fuisse propriè dictum Sacramentum. Quamuis enim Melchisedech ex peculiari Dei instinctu eidem sacrificium obtulerit, illud tamen non debuit dici à Deo institutum: omne autem Sacramentum à Deo auctore gratiæ debet institui. Neque etiam per illud sacrificium mundities seu externa quædam sanctitas fuit collata, neque Melchisedech in illum finem sacrificauit, sed ad Deum colendum.

Fateor tamen D. Th. satis insinuare fuisse Sacramentum stricte sumptum. Nam art. 3. agit de Sacramento in stricta significatione. Præterea illud confert cum Sacramentis tum legis Moisaicæ, tum legis Euangelicæ: quam sententiam aliqui existimant esse Patrum Africanorum apud Aug. epist. 31. post medium ubi dicitur, Melchisedech prolatum sacramentum mensæ dominicæ nouæ æternum eius sacerdotium figurare. Sed Sacramentum eo loco potest, summo debet accipi in latiori significatione, ut idem sit quod signum rei sacræ in genere, quia sacrificium Melchisedech vocatur Sacramentum mensæ dominicæ, id est signum & figura sacrificij nouæ legis.

ARTICVLVS IV.

Virum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta?

CONCLUSIO est affirmatiua.

Notandum præter hæreticos qui aliqua Sacramenta negarunt, de quibus suis locis, quosdam docuisse in noua lege nulla esse Sacramenta, ut videre est apud Epiphanium hæresi 40. & Theodoretum lib. 1. hæreticarum fabularum cap. 13. siue de ijs qui dicuntur Ascodyti.

Sed conclusio D. Th. est de fide. Patet ex Concil. Flor. decreto de Sacramentis & Trid. sess. 7. primis canonibus. Vide etiam Concil. Later. cap. 1. inter de summa Trinitate, & Extrauag. Ioannis 22. Sancta Romana, de religiosis domibus. Congruentia est quod quemadmodum in antiquo testamento fuerunt Sacramenta representatiua Christum venturum, ita decuerit in nouo esse Sacramenta quæ representant eundem iam venisse. Neque ea signa sensibilia perfectioni legis Euangelicæ repugnant, neque idcirco censetur seruire sub elementis mundi, ad sensum Apostoli ad Gal. 4. nam Apostolus eo loco per elementa mundi intelligit ceremonias Iudaicas inanes, quas alibi vocat egena elementa; non verò intelligit Sacramenta, quæ Christus Ecclesiæ suæ reliquit tanquam vasa gratiæ.

Aduerte, succedentibus Sacramentis à Christo institutis non remansisse Sacramenta legis antiquæ, non quod ea mala fuerint, & à malo Deo instituta, ut voluerunt Manichæi; sed quod essent vmbra & figuræ nostrorum, significarentque Christum venturum & futuram eius passionem præsignarent, deseruirentque ad paedagogiam populi rudis. Vnde accedente noua lege & impletis figuris, decuit noua Sacramenta institui. vide August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. quæ Sacramenta essent perfectioni legis Euangelicæ consentanea, & passionem Christi iam exhibitam representarent. Vnde idem August. lib. cit. cap. 13. dicit, quod Sacramenta legis veteris sunt abolita, quia impleta; & alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia.

NOTANDVM I. quod licet titulus tam quæstionis quam plurimorum articulorum sit generalis, intelligatur tamen de Sacramentis nouæ legis: quod satis patet ex resolutione articuli primi, & aliorum; & ex eo quod articulo sexto petat, num hæc efficacitas respectu gratiæ competat Sacramentis legis veteris.

Notandum 2. per gratiam hic intelligi eam quam Theologi appellant sanctificantem, & habitualem, & quam Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. intelligit per iustitiam, vnicam causam formalem nostræ iustificationis; quæ est physica quædam qualitas permanens, & animæ ornamentum, quo efficiamur diuinæ consortes naturæ, Deoque coniungimur, & eius amici reddimur; siue ea distinguatur à charitate, siue non: de quo alibi disputant.

ARTICVLVS I.

Virum Sacramenta sint causa gratiæ?

RESPONDET Sacramenta nouæ legis esse causas gratiæ. Patet ex Flor. decreto de Sacramentis; & ex Trid. sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere.

Probat D. Th. ex eo quod per Sacramenta nouæ legis homo incorporetur Christo, quod non fit absque gratia sanctificante.

florant.
vident.
Lateran.

Quid sint
el menta
mundi hu-
ius, admen-
tem Apo-
stoli.
Gal. 4.

23.
Sacramenta
legis vete-
ris non fue-
runt mala;
ut Mani-
chæi.

August.

Sensus
quæst.

1.

2.

Resp. affir.
florant.
vident.

D V B I V M I.

Utrum Sacramenta nouæ legis gratiam conferant ex opere operato?

Error hereticorum nostri temporis.

3.

Calumnias

HERETICI nostri temporis in eo mirè sentiunt, quòd existimant Sacramenta gratiā non conferre; ut videre est ex definitionibus eorum relatis quæst. 60. traduntq; Catholicos tanquam inquirentes, an Sacramenta sint primariæ causæ gratiæ; ut videre licet apud Calu. lib. 4. instit. cap. 4. §. 17. cū tamen ne minima inter Catholicos hac de re sit quæstio; apud quos de fide constat solum Deum esse causam principalem gratiæ, etiam eius quæ confertur per Sacramenta: unde in eo impudenter mentiuntur heretici. Quemadmodū etiā in eo relucet illorum impudentia, quòd calumniatur Doctores quærentes an Sacramenta gratiam ex opere operato cōferant: quasi hac loquendi formulā fidem, deuotionem, penitentiam excludant; cū ex ipsis Doctoribus contrarium clarè constet. Nam passim tradunt initium iustificationis etiam in Sacramentis esse fidem; quod etiam diserte tradit Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. & 8. & in singulis Sacramentis inquirunt quam dispositio requiratur ex parte suscipientis ad fructum sacramentorum percipiendum. docent etiam penitentiam (saltem virtualem) esse necessariam, ut veniam peccati actualis consequamur.

Mens DD. Catholicorum.

Ex quibus clarè patet, quòd quando asserunt Sacramenta gratiam ex opere operato conferre, nolint excludere concursum dispositionū in adultis ad fructum Sacramentorum percipiendum; sed solum velint Sacramenta nouæ legis habere vim & efficaciam; gratiam conferendi licet iuxta exigentiam cuiusq; Sacramenti variè in adultis exigatur dispositio; quæ ex parte materiæ, & subiecti receptiui se habeant: ita ut gratia non detur propter fidem, deuotionem, sanctitatem ministri, tanquam propter meritum eiusdem, neque etiam detur propter deuotionem suscipientis meritorie se habentem, sed ex alio capite: ubi

Actio sacramentalis potest duobus modis spectari.

Aduertendum, actionem sacramentalem posse duobus modis spectari: uno ut est actus quidā religiosus & honestus proficiens ex gratia, seu ex principio supernaturali. hoc modo cōsiderata potest cōficiēti seu ministro, si is sit in gratia seu iustus: quemadmodum enim iustus per quemlibet alium actum honestū à gratia proueniētem potest mereri ita mereri potest per Sacramentorum cōfectionem & administrationē, cū sit insignis Dei cultus; & quantò ex maiori deuotione ministrat, tantò amplius potest mereri. Similiter is qui ex Spiritu S. motione Sacramentum suscipit, si sit in gratia, meretur ināgnem Deo cultum tribuendo: & eo amplius meretur, quo maiori eum deuotione, seruiore &c. recipit, quia cultus ex illis capitibus redditur præstantior.

Quid sit Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

Potest eadē actio sacramentalis alio modo spectari, scilicet prout procedit à ministro intendente facere quod Christus instituit circa subiectum nō habens impedimentum, siue minister suum munus obeat cum deuotione, siue non; siue in eo peccet, siue non; similiter siue recipiens Sacramentum gratiam mereatur, siue non. De actione sacramentali secundo modo spectata quæstio instituitur, in qua petitur num huiusmodi actio sit collatiua gratiæ?

quod vocant Scholastici ex opere operato, quā loquendi formula etiam vitur Concil. Trid. sess. 7. can. 8. de Sacramentis in genere, etque ad rem explicandam commoda. his præmissis

Respondeo & dico Sacramenta nouæ legis gratiam sanctificantem conferre ex diuina institutione, atque ad eò illius esse causas ex opere operato, modo explicato.

Quòd gratiam conferant, est de fide definitum in Trid. sess. cit. can. 6. de Sacramentis in genere his verbis, *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & non quadam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* in qua definitione aperte condemnantur errores hereticorum nostri temporis circa rationem, naturam, & vim Sacramentorum, & fides catholica dilucide statuitur: quæ etiam in Concil. Flor. decreto de Sacramentis stabilitur. Eadem definitur quoad baptismū in Symbolo Concilij Constantinopolitani, ubi dicitur, *Consecrator omnium baptismus in remissionem peccatorum.* In Concil. Milen. cap. 2. & refertur can. *Placuit*; de consecratione dist. 4. in Arausicano cap. 25.

Probatur ex Scriptura, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non possit introire in regnum Dei.* quem locum de baptismo Patres communiter intelligunt, & non nisi impudenter negatur à Calu. lib. 4. instit. cap. 16. §. 25. cū & verba id satis declarant, & replica Nicodemi satis ostendat eum prædicta Christi verba intellexisse de regeneratione quadam spirituali per aquam, quæ vim suam habet à Spiritu S. Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ad Ephes. 5. *mundari* (scilicet Ecclesiam) *lauacro aque in verbo vire.* Ad Titum 3. *secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus S. &c.* Ex quibus & alijs Scripturæ locis constat hominem per baptismum mundari, renouari, regenerari, peccatum illi remitti, & aditum ad regnum colorum parari, quæ absque gratia fieri non posse constat; cū Deus saltem de lege ordinaria sine infusione gratiæ iustificantis nulli peccatum mortale remittat, sine qua etiam nullum spiritualiter regeneret, nulli paret aditum ad regnum cæleste.

Omitto verba quibus Ioannes Baptista discrimen baptismatis Christi & sui declarat, & excellentiam eiusdem baptismatis respectu sui, de quibus Lucæ 3. hoc enim discrimen aperte ostendit baptismati à Christo instituendo vim quandam spirituales concedendam, quæ Ioannis baptismati fuit denegata.

Ex quibus omnibus clarissimè patet baptismū gratiam conferre, non ex merito ministri, vel recipientis, sed ex vi sua quam ex diuina institutione sortitur: quam vim scriptura etiam tribuit Eucharistiæ, ut suo loco ostendetur: quod etiam suis locis ostendetur de alijs Sacramentis.

Eadem veritas probatur 2. ex Patribus. August. lib. 19. contra Faustum cap. 13. dicente nostra Sacramenta esse veteribus *virtute maiora, utilitate meliora*; quod dici nō posset si nulla vis respectu gratiæ & interioris renouationis illis inesset, vel si soli fide possent in nobis excitare: nā id æque efficaciter præstare poterat Sacramenta legis veteris. Lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum c. 3. docet baptismū facere novos homines & omnia peccata delere. Tract. 80. in Ioan. *Vnde ista rāta virtus aquæ vi corpus*

Resolutio affirmans.

De fide est quod gratiam conferant.

Trident.

Florent. Cæsariensis, Arelensis, Arausica.

Prob. ex Script. Ioan. 3.

Act. 2. Ephes. 5.

Tit. 3.

6.

Conferunt gratiam vi suā, ex diuina institutione.

Prob. 2. ex PP. August.

LANGAT.

tangit, & cor abluit: Hieron. lib. contra Pelagianos, in principio dicente baptismum præterita donare peccata. Ambr. lib. 3. de Spiritu S. cap. 11. Per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S. spem vite æternæ æternæ. Leone ferm. 4. de natiuitate Domini, spiritusalem originem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascens aqua baptismatis est in-
 fiat tueri virginis, eodem Spiritu S. replente fontem, qui replent & Virgines, ut peccatum quod ibi vacauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. Plures videri possunt apud Bell. lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 6. & 7.

Ad hæc Patrum testimonia respondet Calu. lib. 4. cap. 14. §. ult. Patres hyperbolice locutos.

Sed mirum est tot Patres in hoc conuenire, nec vnum aliquem eam vim Sacramentis denegare, cum res sit maximi momenti, & ad primaria religionis nostræ fundamenta pertinens. Adde illos ita locutos, non tantum cum ad populum verba facerent, sed cum dogmaticè agerent & traderet doctrinam in Ecclesia tenendam; quorum proinde sententiæ absque villa hyperbole sunt accipiendæ, quia aliàs tota Ecclesia in grauissimo religionis puncto erraret, cum constans illa Patrum doctrina vsque ad nostra tempora in Ecclesia perseuerarit.

Melior non est alia responsio, quod scilicet Patres hanc vim Sacramentis tribuant mediante fide, quam in nobis excitant. 1. quia ex quamplurimis Patribus in eo conspirantibus, quod Sacramenta gratiam in nobis operentur, quod per illa renouemur &c. ne vnus est, qui eo modo hæc virtutem explicet, quod sanè mirum esset, si non nisi excitando fidem Sacramenta operentur gratiam. 2. eorū verba planè intellecta longè aliud sonant, ut patere potest consideranti sententias Aug. Ambr. Leonis citatas. 3. si Patres solum vellent Sacramenta gratiam in nobis operari excitando fidem, quid singulare de his dicerent, quod non potuissent dici de Sacramentis legis veteris? cum tamen intendat aliquid peculiare de nostris Sacramentis asserere. Præterea con-
 cioni nunquam tribuerunt efficacitatem operandi gratiam, remittendi peccata, hominem renouandi; cum tamen longè melius fides in nobis excitetur audiendo concionem, quam Sacramentū recipiendo. 4. etiam baptismus ab hæreticis, paruulis con-
 fecti solet, in quibus hæc fides excitari nequeat.

Contra catholicam veritatem obijciunt hæretici. 1. ea loca quibus dicitur fide iustificari; ex quibus & suum errorem de fide iustificante tueri conantur, & omnem vim Sacramentis adimere. Sed de hoc errore 1. 2. quæst. 113. dicendum.

In præsentī sufficiat quod Scriptura non dicat nos sola fide iustificari. 2. quod eadem non agat de fide speciali hæreticorum. 3. quod quando fidei nostra iustificatio tribuitur, non excludantur alia, sed quod Scriptura hoc modo loquatur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, ut tradit Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. Per hunc ergo loquendi modum non vult adimere Sacramentis eam vim, quam ex alijs locis constat eis competere, sed solum docere fidem ad salutem esse necessariam.

Non inuat etiam hæreticos quod Apostolus habet ad Rom. 10. *in fide autem venit ex hunc vni*; quia ut patet ex antecedentibus, solum vult docere iustitiam per fidem roborari ad tolerantiam malorum in hac vita, eo quod per illam cognoscat remunerationem iustis præparatam.

Obijciunt 2. quod quidam Patres doceant ministrum Sacramenti præbere exterius Sacramen-

tum, v. g. aquam, Deum autem præbere inuisibilem gratiam, seu Spiritu S. Videri potest Hieron. Isaia 4. in illa verba, *cum abluerit Dominus &c.* igitur Sacramenta non sunt causa interioris renouationis.

Resp. negando consequentiam, quia Patres hac loquendi formulâ solum vult docere præceptam causam gratiæ in Sacramentis esse Deum, & ministrum nihil posse, si Deus sua virtute non assistat; nolunt tamen negare ipsum Sacramentum, & per consequens Sacramenti ministrum, aliquo tandem modo esse causam eiusdem gratiæ instrumentariam.

Obijciunt 3. quod hac ratione homines à Christo eiusque passione reuocentur.

Resp. negando assumptum: cum doceantur totam vim Sacramentorum à Christi meritis provenire, qui voluit ea per Sacramenta in nobis applicari; unde excitantur ad illum amandum pro tanta in genus humanum charitate, quod scilicet non tantum voluerit pro nobis pati, & nobis mereri sed etiam reliquerit Ecclesiæ Sacramenta, quibus vis passionis applicetur hominibus, & per quæ homines faciliè aeterno Patri reconciliantur, & gratiam eiusque augmentum possint consequi.

Petes quomodo supra dictum sit, requiri in ad-
 ulto certas dispositiones, ut Sacramenta gratiam conferant, cum Concil. Trid. sess. 7. can. 6. cit. tradat Sacramenta gratiam conferre non ponentibus obicere & aliqui videantur docere Sacramenta conferre gratiam quando recipiens non ponit obstaculum, seu impedimentum per mortale peccatum.

Resp. ita dictum quia satis constat si accedens ad Sacramentum v. g. baptismi, non habeat sufficientem notitiam mysteriorum fidei, quæ ad iustificationem requiritur, non consecuturum gratiam per Sacramenti susceptionem. Constat etiam si quis in peccato mortali constitutus ad idem Sacramentum accedat, saltem absque attritione supernaturali, quantumcumque inculpatè suum defectum ignoret, eum non consecuturum gratiam & peccatorum remissionem; ergo signum est vniuersaliter loquendo ad effectum Sacramenti non sufficere, ut recipiens non ponat impedimentum peccati mortalis, sed insuper requiri ut ad idem legitime disponatur.

Confir. 1. quia communiter fictio dicitur impedire effectum Sacramenti; ea autem passim constituitur duplex; vna positua, quæ consistit in eo quod aliquis suscipiendo Sacramentum mortaliter peccet; altera negatiua, quæ consistit in nuda carentia legitimæ dispositionis.

Confir. 2. Concil. Flor. decreto de Sacramentis, docet nostra Sacramenta gratiam conferre dignè suscipientibus; quâ loquendi formâ satis insinuat ad hoc ut Sacramenta suum effectum conferant, certas dispositiones requiri in suscipiente, quibus si careat etiam inculpatè, gratiam non sit consecuturus. Simile quid videre licet in causis naturalibus, quæ suum effectum non producant, si vel subiectum contrarias habeat dispositiones, quibus resistat introductioni formæ; vel careat dispositionibus necessarijs ad formæ receptionem.

Ex his patet responsio ad rationem dubitandis, quod scilicet duobus modis possit poni obex gratiæ recipiendæ per Sacramentū; videlicet per peccatum mortale, quod in Sacramenti receptione committitur; & per carētiā legitimæ dispositionis, quamuis carentia non ita vltatè obex dici so-
 leat: cum obex communiter sonet positium impedimentum obstans quo minus aliquid fiat.

Ad Doctores qui contrarium videntur sentire

Hieron.

Resp.

Obiectio 3.

Resp.

10.

Dubium in-
cidents.

Solutur.

Requirun-
tur ad Sa-
cramenta
certæ dis-
positiones.

11.

Quo sensu
dicantur
conferre gra-
tiam non
ponentibus
obicem.

12.

Corollarium.
Potest quis
carere fru-
ctu Sacra-
menti, et si
in acceden-
do non pec-
cet.

Respondeo, eos non sentire contrarium, cum ita loquantur suppositis generalibus principijs, quae aliunde constat esse necessaria.

Ex dictis constat aliquem posse ad Sacramentum accedere, qui nec recipiat fructum Sacramenti, nec tamen peccet accedendo: ut si quis bona fide accedat inculpate ignorans aliqua fidei mysteria, quorum notitia est ad salutem necessaria: similiter si peccator accedat bona fide existimans se sufficienter dispositum, cum re ipsa careat dispositione.

DUBIUM II.

Utrum omnia Sacramenta aequalem gratiam conferant?

NOTANDUM quaestione posse intelligi vel de Sacramentis diuersae speciei, vel de Sacramentis eiusdem speciei solo numero differentibus, idque vel respectu diuersorum recipientium, vel facta comparatione ad unum & eundem recipientem.

13.

Conclusio 1.
Videtur Ba-
ptismus co-
ferre maio-
rem gratiam
quam Peni-
tentia.

Dico 1. Sacramenta diuersae speciei per se loquendo & ceteris paribus inaequalem gratiam conferunt. Nam baptismus videtur conferre maiorem gratiam quam poenitentia, cum eam conferat per modum generationis cuiusdam spiritualis &c.

14. 8.

Probatur conclusio: per quaedam Sacramenta peculiariter dicitur dari Spiritus S. ut per Confirmationem, Act. 8. *Tunc imponebant manus super illos & accipiebant spiritum S.* qua loquendi forma peculiaris quaedam abundantia gratiae videtur designari, quae in baptismo per se non conferatur. Similiter in ordinatione sacerdotis peculiariter dicitur dari Spiritus S. 2. quaedam Sacramenta repeti non possunt, in quibus per se loquendo videtur maior gratia conferri, quam in his quae possunt repeti. 3. quaedam Sacramenta excellentiorem ministrum saltem ordinarium requirunt, quae & dignior censentur (excipio Eucharistiam quae est dignissimum Sacramentum) & maiorem gratiam videntur conferre. Dixi per se loquendo &c. propter ea quae in sequentibus dicentur.

14.

Per Eucha-
ristiam non
confertur
tantum gra-
tia, quantum
per quaedam
alia Sacra-
menta.

Dices hinc videtur sequi per summptionem Eucharistiae longè maiorem gratiam recipi quam per susceptionem ullius alterius Sacramenti, quia est dignissimum Sacramentum.

Resp. negando sequelam: ad cuius probationem dico quod licet sit dignissimum Sacramentum, quia tamen sumitur per modum cibi ad animam reficiendam, & conseruandam, & augendam vitam eius spiritualem, & per se loquendo saepius potest repeti, non videtur conferre tantam gratiam, quantum alia quaedam conferunt: v. g. baptismus, qui per modum generationis spiritualis confert suum effectum: quemadmodum in generatione corporali, quae est prima ipsius substantiae productio & accceptio, maior substantia recipitur, quam per singulas comestiones. Cur autem per quaedam alia Sacramenta maior gratia conferri videatur, quam per baptismum qui est generatio spiritualis, patet ex probationibus.

15.

Conclusio 2.
Idem Sa-
cram. potest
in diuersis
causis in-
aequalem
gratiam.

Aduerte tamen aliquos sentire per vnam communionem ceteris paribus plus gratiae conferri, quam per receptionem alterius Sacramenti: quae sententia est etiam probabilis.

Dico 2. idem Sacramentum specie potest in diuersis subiectis inaequalem gratiam conferre.

Probatur 1. ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. docente nos recipere iustitiam quam iusti constituimur, secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Loquitur autem etiam de iustitia quam per Sacramentum recipimus, ut patet ex textu.

Probatur 2. quando effectus habet latitudinem perfectionis, quod materia perfectius disponitur & actuatur ad formae receptionem, eodem forma perfectior introducit virtute causa efficientis; ergo Sacramenta perfectius suum effectum producent, quando subiectum perfectius disponitur, cum ad instar causarum naturalium eum producant: atqui fieri potest, ut ex duobus idem Sacramentum, v. g. baptismum, recipientibus vnus melius disponatur quam alius, vnus maiori cum deuotione & ardentiori charitate accedat quam alius; igitur baptisimus in diuersis subiectis inaequalem gratiam potest conferre. Confir. non videtur dubitandum quin adultus cum magna dispositione accedens ad baptismum maiorem gratiam recipiat, quam paruulus, qui ex sua parte nullam praebet dispositionem.

Et certe id magnopere potest conducere ad excitandum torporem fidelium, & excitandam in ipsis mentibus deuotionem; considerare videlicet quod pro maiori vel minori praestantia dispositionis, maior vel minor gratia conferatur per Sacramentum: dum enim mens hoc accurate perpendit, affectus excitatur ad maiorem diligentiam, ad praclaros contritionis, dilectionis, humilitatis actus eliciendos, accedendo ad Poenitentiae vel Eucharistiae Sacramentum.

Dico 3. Sacramentum eiusdem speciei, in vno & eodem potest inaequalem gratiam conferre. Est D. Th. infra quaest. 69. art. 8. & plurimum quos citat Henriquez lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 14. §. 1. Patet ex praecedenti conclusione, quia vnus & idem potest diuersis temporibus eam inaequali dispositione accedere ad Sacramentum eiusdem speciei. Quae autem censetur praestantior dispositio, ex varijs est spectandum, & ex morali hominum iudicio.

Ex dictis patet cur in prima conclusione dictum sit, per se loquendo, & ceteris paribus. Fieri enim potest ut Sacramentum, quod alioquin natum est maiorem gratiam conferre, conferat aequalem vel etiam minorem, quia accedens parum habet dispositionem; alius vero accedens ad Sacramentum minoris gratiae collatum, praestantior habet dispositionem; unde hic potest recipere aequalem gratiam cum priore; immo potest esse tantus excessus dispositionis, ut maiorem recipiat: per se tamen & posita consimili dispositione in vtroque, Sacramenta diuersae speciei inaequalem gratiam conferent.

Dices causa naturales imperfectiores nunquam producent effectum equalem effectui causa perfectioris, quantumcumque subiectum bene disponatur; cum ergo Sacramenta se habeant instar causarum naturalium, Sacramentum quod per se loquendo minorem gratiam producit, nunquam producat aequalem cum gratia quam potest producere Sacramentum alterius speciei. Pro solutione argumenti

Notandum 1. in effectibus naturalibus duplicem posse spectari perfectionem: vnam essentialem, quae ex specie & natura sumitur; alteram intensiuam, quae oritur ex gradibus intensionalibus. Haec duae perfectiones ita se habent ut quod perfectius est perfectione essentiali, possit esse imperfectius perfectione intensiuam; ut patet in calore intensio vt

Trident.

16.

Conclusio 3.
Similiter &
in eodem.
D. Th. 1.
Henr.

17.

Corollar.

18.

duo,

duo, qui frigus intensum ut quatuor superat perfectione essentiali, à quo in perfectione intensiva superatur.

Notandū 1. causas naturales particulares respicere effectus determinatos specie, quos communiter aliæ causæ nequeunt producere; & proinde causas distinctas communiter producere distinctos effectus, quorum unus est inferioris speciei: Sacramenta verò in eo conuenire, quòd omnia gratiam conferant, ex his ad argumentum

Resp. antecedens esse verum de perfectione essentiali. Nam causa imperfectior & quæ respicit effectum inferiori specie, nunquam producit effectum tam perfectum in essentia quam perfectior, quantumcumque subiectum perfectè dispositum: & eo sensu negatur consequentia, quia omnia Sacramenta respiciunt gratiam habitualementis eiusdem speciei & essentialis perfectionis. Idem autem antecedens falsum est, si intelligatur de perfectione intensiva effectus; nam causa imperfectior bene potest producere effectum æqualem in intensione cum effectu causæ perfectioris, si subiectum respectu huius minùs bene disponatur. Ex quo patet ex proportionem causarum naturalium Sacramenta diuersæ speciei posse interdum producere gratiam equalis intensiōis.

Contra 2. & 3. conclusionem potest obijci 1. quòd excessus gratiæ qui dicitur conferri ratione dispositionis per Sacramentum, possit in ipsam dispositionem referri tanquam in causam meritoriam, ita ut Sacramenta eiusdem speciei semper eandem gratiam conferant, augmentum verò deur propter præstantiores actus suscipientis, v. g. propter deuotionem tanquam causam meritoriam.

Resp. 1. id non posse vniuersim asseri: nam communi sententiā in adulto qui peccatum mortale commisit, attritio supernaturalis est legitima dispositio ad gratiam per baptismum recipiendam, quam tamen constat nullo modo sufficere ad gratiam seu iustitiam obtinendam extra Sacramentum. ex quo constat quòd excessus gratiæ quæ in baptismo conferri potest propter attritionem intensiorem &c. non possit referri in ipsam dispositionem, ut causam meritoriam; cum attritio non mereatur extra Sacramentum gradum gratiæ, qui supponitur dari in Sacramento ratione excessus eiusdem attritionis.

Resp. 2. quòd licet ipsimet dispositioni, ut est actus honestus supernaturalis, in iusto respondeat aliquis gradus gratiæ tanquam causæ meritoria, & qui etiam extra Sacramentum conferretur iusto talem actum elicienti, non obstat quòd minùs amplior gratia etiam per Sacramentum, tanquam per causam, conferatur subiecto per talem actum melius disposito: nam ex eo quòd aliquis actus ex sua conditione mereatur gratiam vel gratiæ augmentum extra Sacramentum, non tollit ab eo rationem dispositionis ad Sacramentum dignè suscipiendum, & proinde non facit ut Sacramentum per modum causæ suum effectum perfectius non conferat subiecto melius disposito: v. g. quando iustus accedit ad Eucharistiam, ille accessus qui est meritorius augmenti gratiæ, prout est insignis religionis actus, & cultus Dei, non impedit quòd minus ratione eiusdem ut est Sacramenti susceptio, obtemperatur gratia ex opere operato, ut superiori dubio dictum est.

Obijciatur 2. quòd Sacramenta habeant certos & determinatos effectus: quòd non videtur posse

dicti, si iuxta varietatem dispositionum inæqualis gratia conferatur.

Resp. negando secundam partem assumpti: quia optimè dici possunt habere determinatum effectum, 1. quòd in eo in quo non requirunt dispositionem, semper similem gratiæ gradum operentur, ut patet in paruulis qui ratione baptismi æqualem gratiam sortiuntur. 2. quòd posita consimili dispositione in varijs idem Sacramentum recipientibus, similem gratiam operetur. Quando ergo Sacramenta dicuntur habere certum & determinatum effectum, solum intelligitur quòd iuxta dispositionis exigentiam & perfectionem constanti lege suum effectum conferant, non verò aliquando maiorem aliquando minorem, etiam posita æquè perfectà dispositione.

D V B I V M III.

Utrum Sacramenta interdum conferant primam gratiam?

NOTANDVM 1. tunc primam gratiam dici conferri, quando nulla gratia habitualis supponitur in subiecto.

Notandum 2. Sacramenta alia dici mortuorum, alia viuorum. Mortuorum sunt ea quæ ex sua institutione ordinantur ad peccati originalis vel mortalis deletionem, & ad hominem cum Deo reconciliandum: ad quæ communi Doctorum sententiā potest aliquis accedere quamuis putet se spiritualiter mortuum, dummodo legitime aliàs disponatur.

Sacramenta viuorum sunt quæ ad hunc effectum per se non ordinantur, sed ad alium qui per se loquendo vitam animæ supponat; & proinde accedentes ad illa debent bona fide existimare se esse in statu gratiæ; si quis enim existimet se esse in statu peccati mortalis, accedat quæ ad hæc Sacramenta, grauius peccat & fructu Sacramenti priuatur.

Dico 1. per Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ interdum prima gratia conferri potest.

Probat 1. ex Concil. Trid. proœmio sess. 7. vbi dicit, per quæ (scilicet Sacramenta) omnis vera iustitia vel incipit, vel capta augetur, vel amissa reparatur; ergo per Sacramenta prima gratia potest interdum conferri. Id autem per nulla aptius præstari potest quam per baptismum & pœnitentiam, ut ex dicendis patebit. Idem can. 4. de Sacramentis in genere damnat asserentes Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, & sine eis aut eorum opo per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci. vbi indicat quòd possimus gratiam iustificationis per Sacramenta consequi; ergo primam gratiam. Sess. 6. cap. 7. docet iustificationis (per quam scilicet à statu peccatoris transferimur ad statum iusti) causam instrumentalem esse baptismum; & cap. 14. docet, eos qui ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari posse, cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint. Sess. 14. cap. 3. docet, effectum pœnitentiæ esse reconciliationem cum Deo. Consimilia docet Flor. decreto de Sacramentis.

Probat 2. ex locis Scripturæ dubio primo citatis, in quibus dicimur per baptismum renasci, renouari, lauari &c. hæc enim denotant baptis-

Resp. 21. Sacramenta de se habent determinatum effectum.

22.

Sacramenta alia mortuorum, alia viuorum, & quo sensu

23.

Conclus. 1. De baptismo & pœnitentiā. Trident.

num habere vim nos transferendi à statu peccati & iniustitiae, ad statum iustitiae, & proinde gratiam primam conferendi, cum sine gratia nullus sit iustus, nulli pateat regnum celorum. Item iubemur baptizari in remissionem peccatorum; igitur baptis-
mus eam potest operari, & per consequens primam gratiam conferre, cum sine infusione gratiae peccatum originale vel mortale non remittatur. Christus etiam Ioan. 20. instituens Pœnitentiae Sacramentum dicit, *quorum remisistis peccata remittuntur eis*; ergo per hoc Sacramentum peccata etiam mortalia remitti possunt; ergo & prima gratia conferri. unde

Ioan. 20.

Probatur 3. baptis-
mus & pœnitentia sunt instituta ad peccatorum etiam mortalium deletionem; igitur id possunt operari, cum possint conferre effectum ad quem sunt instituta: non possunt autem delere peccatum sine infusione gratiae, per quam homo ex peccatore fiat iustus; ergo. Confr. baptis-
mus in paruulo operatur remissionem peccati originalis.

24.

Probatur 4. hæc Sacramenta sunt mortuorum; ergo aliquis cognoscens se mortuum, qui tamen per attritionem legitime disponatur ad effectum Sacramenti potest illa recipere.

Conclusio 2.
De ceteris Sacramen-
tis.

Dico 2. cetera Sacramenta non sunt instituta per se ad primam gratiam conferendam. Patet ex eo quod sint Sacramenta viuorum, quæ proinde secundum suam institutionem, vitam spirituales animæ supponant.

Conclusio 3.
Fieri potest
ut Eucha-
ristia v. g.
primam gra-
tiam conferat.

Dico 3. fieri tamen potest ut interdum primam gratiam conferant. Explicatur: fieri potest ut aliquis in peccato mortali constitutus accedat ad Eucharistiam, inuincibiliter ignorans se esse in statu peccati, & de cetero concipiens attritionem de peccatis in genere, cum emendationis proposito; quæ attritio cum Sacramento sufficiat ad peccati deletionem: hoc casu, Eucharistia videtur primam gratiam conferre. Potest similiter aliquis sibi quidem conscius peccati mortalis, tamen bona fide putans se elicere contritionem, recipere Confrim-
ationem; cum tantum eliquerit attritionem, qui similiter per Sacramentum videtur iustificandus.

Ratio.

Probatur: talis ex supposito non peccat, & de cetero per dictam attritionem sufficienter disponitur ad recipiendum effectum Sacramenti. quod probatur: attritio pœnitentia imperfecta verè auertit hominem à peccato, & proinde est sufficiens dispositio ut Sacramentum operetur suum effectum, seu gratiam conferat, quæ hic & nunc peccatum deleatur: si quid enim obstatet quod minus Sacramentum suum effectum operari posset, esset peccatum quod inuenitur in subiecto recipiente, quodque absque pœnitentia deleri non potest; id autem non obstat, ut ostensum est.

Obiectio 1.

Dices 1. si ita se res habet, poterit aliquis sibi conscius peccati mortalis accedere ad hæc Sacramenta cum sola attritione cognita tali: quod falsum est. Sequela probatur: talis iuxta dicta sufficienter disponitur ut per Sacramentum gratiam recipiat, & ut peccatum ei remittatur.

Resp.

25.

Peccaret
qui tantum
attritus,
sciens ac-
cederet ad
Sacramenta
viuorum.

Resp. negando sequelam. Ad probationem dico, quod licet attritio per se loquendo sufficienter disponat, quia tamen nullus potest accedere ad Sacramenta viuorum nisi saltem bona fide putet se viuere vitam spirituales, si quis in peccato mortali constitutus cum sola attritione cognita tali accedat, peccat mortaliter; & proinde non potest effectum Sacramenti consequi, si verò vel peccatum suum ignoret, vel bona fide putet se contritum,

non peccat, & sufficientem habet dispositionem ad obtinendam peccati remissionem per Sacramentum.

Dices 2. hæc Sacramenta sunt viuorum; ergo verè requirunt vitam: ergo eam conferre non possunt.

Obiectio 2.

Resp. negando primam consequentiam. sufficit enim si prudenti saltem opinione recipientis putetur vita spiritualis adesse: nam dicuntur Sacramenta viuorum modo supra explicato; propter quem non necessarîo requiritur vita spiritualis à parte rei, sed requiritur ut saltem bona fide putetur adesse, & proinde fieri potest ut primam gratiam conferant.

Obiectio 3.

Dices 3. Sacramenta viuorum non sunt instituta ad primam gratiam conferendam, sed ad eius augmentum; igitur eam conferre non possunt, cum nullam aliam vim habeant præter eam quam ex diuina institutione acceperunt.

Resp.

26.

Sacramen-
ta viuorum
duobus
modis pos-
sunt spectari.

Resp. ad antecedens, Sacramenta viuorum duobus modis spectari possunt: vno secundum rationem specificam, altero secundum genericam. Ex priori capite sunt instituta ad gratiae augmentum, cum fines ad quos specialiter sunt instituta, supponant per se loquendo vitam spirituales, propter quam causam non possunt recipi ab eo qui bona fide non putat se viuere vitam spirituales: & in eo distinguuntur à Sacramentis quæ dicuntur mortuorum, quæ ex sua speciali ratione non supponunt vitam spirituales, etiam secundum opinionem accedentis.

Si verò considerentur secundum generalem rationem tanquam Sacramenta, possunt in eo qui non ponit obiectionem peccando in eorum receptione, & de cetero peccatum detestatur modo supra explicato, gratiam producere, idque ex diuina institutione: quod non est ita intelligendum quasi sit duplex institutio, sed quod ea institutione quæ singula Sacramenta Christus instituit, contulerit eis vim ad gratiam conferendam non ponenti obiectionem per peccatum actuale, vel per negationem pœnitentiae, si accedens ad Sacramentum re ipsa sit in statu peccati. Quæ ratio omnibus Sacramentis communis dici potest, & proinde Sacramenta dici possunt secundum rationem genericam spectata, posse primam gratiam conferre: quod aliqui dicunt posse conferre per accedens: qua loquendi forma nihil aliud volunt designare, quam quod ad primam gratiam conferendam non sint specialiter instituta.

27.

Ex his colligi potest quod agrotus non valenti confiteri, eo quod sit destitutus visu rationis, possit Sacramentum extremæ vnctionis conferri, si prius signa doloris ediderit, quamuis existimetur esse in statu peccati mortalis, & dolor non existimetur pertinere ad perfectam contritionem: & dico quod talis consequetur effectum Sacramenti, si fuerit verè attritus cum emendationis proposito. Idem dicendum de Eucharistia, quæ seposito vomitus periculo etiam tali potest administrari.

Ceterum.

Potest &

agrotus ratio-

nis visu de-

stitutus, Ex-

tremam vn-

ctionem con-

ferri, si ali-

qua signa do-

loris ediderit.

DVBIUM IV.

Quandonam Sacramenta gratiam conferant?

28.

SUPPONO gratiam sacramentalem non conferri antequam Sacramenta actu recipiantur, nam gratia quæ confertur ex opere operato, non potest conferri nisi opus ipsum applicetur, seu ap-
plicetur

Sacramen-

ta non con-

feruntur gra-

tiam antequam

actu reci-

pian-
t.

phicetur instrumentum per quod Christi meritum nobis debet applicari. Vide Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. Adde quod si gratia posset conferri virtute Sacramenti, antequam illud reciperetur; posset aliquis per solam attritionem, ante actuale Sacramenti receptionem, iustificari & consequi remissionem peccati mortalis, quod inter Catholicos est inauditum.

Quod si Concil. sess. cit. cap. 8. doceat eos sentire fructum & utilitatem Eucharistiae, qui propolatum habent illum panem coelestem edendi &c. non eo sensu dicit, quod ij gratiam virtute Sacramenti recipiant, sed quod recipiant similem ei quae per communionem consecretur; atque adeo similitudine tantum effectus dicantur communionis effectum recipere. Cuius rei signum est, quod is qui in peccato mortali existens desiderat communicare, non sit gratiam recepturus, quamvis proponat prius confiteri, & putet bona fide se contritum, cum tantum sit attritus. Item quod is qui in gratia existens desiderat hoc Sacramentum, & dicitur spiritualiter communicare, non recipiat maiorem gratiam, quam pro ratione suae devotionis mereatur.

His praemissis quaeritur quandonam Sacramenta gratiam conferant? Idemque est de charactere iudicium respectu Sacramentorum quae illum impingunt, an scilicet in tempore, an vero in instanti pro quo vltimius videtur.

Supponendum gratiam sanctificantem conformiter naturae suae postulare produci in instanti; cum sit quaedam entitas quae totum suum esse possit simul acquirere.

Duplex in praesenti quaestione est sententia: una censet gratiam conferri per Sacramentum in ultimo instanti quo forma profertur, eod quo forma compleatur & perficitur intrinsece in tali instanti.

Secunda sententia tenet gratiam conferri in primo instanti extrinseco formae; nam haec sententia dicit quod forma Sacramenti non compleatur intrinseco instanti, sed solum extrinseco ad motum successuum.

Haec sententiarum varietas in praesenti quaestione oritur ex eo, quod non satis constet quomodo sonus producat, an in instanti, (quod plerique in libris de anima asserunt) an vero in tempore, quod affirmant alij, eod quod videlicet sequatur natura motus, a quo tam in sui productione quam conseruatione dependet, non quod motus sit illius causa proprie dicta, cum motus ut summum modum non possit tanquam causa physica producere sonum qualitatem habentem entitatem realem, sed quod sit quaedam conditio necessaria ad sui productionem & conseruationem.

Resp. probabile esse in subiecto non ponente obicem gratiam produci in instanti quo forma compleatur, quod instans videtur intrinsecum. & ita tenet D. Th. infra quaest. 78. art. 4. ad 3. de formae consecrationis.

Quamvis enim sonus in sui productione dependeat a motu, est tamen qualitas realis ab eo distincta, habens suum esse distinctum, quod in instanti videtur produci, & per consequens sonus formae sacramentalis videtur in instanti perfici & reddi sensibilis. In hoc ultimo instanti quod necessarium est ut forma sit completa, gratia producitur; quia eo instanti significatio Sacramenti est perfecta, & ipsum Sacramentum completum; ergo tunc suum effectum producit, cum neque ante possit producere, neque sit ratio differendi gratiae collationem.

Confer. gratia sacramentalis datur ratione Sacramenti; igitur in subiecto non ponente obicem, nullum tempus vel instans aptius ponitur, quam instans quo completur Sacramentum.

Dices sonum diffundi in tempore, ut patet; ergo gratia sacramentalis non datur in instanti intrinseco.

Resp. negando consequentiam; nam licet sonus in tempore diffundi possit & durare, datur tamen instans quo sufficienter est sensibilis; & proinde quo sufficienter forma significet, & Sacramentum dicatur completum, si adsint caetera: quemadmodum in materia datur minimus aliquis contactus ad rationem Sacramenti sufficiens, quamvis materia per maiorem partem subiecti diffundi possit.

Dixi, in subiecto non ponente obicem; quia certum est quo casu ponitur obex a recipiente, gratiam non conferri dum completur Sacramentum. Vtrum autem in illo euentu gratia sacramentalis aliquando conferatur, alibi explicabitur.

Aduerte 1. conclusionem intelligi quando forma finitur cum applicatione materiae, vel post. Si enim forma prius finiatur, quam materia sufficienter sit applicata, constat gratiam non conferri completa forma, cum Sacramentum nondum existat.

Aduerte 2. in gratia quae conceditur ratione communionis peculiarem esse difficultatem, explicandam in materia de Eucharistia.

Aduerte 3. sententiam quae dicit gratiam conferri in instanti extrinseco prolationis formae, esse etiam probabilem: quia ut dixi, non satis constat sonum produci in instanti, & non improbabiler dici potest produci in tempore, & proinde Sacramentum compleri in instanti extrinseco, eodem modo quo successiva censentur compleri, quando scilicet sunt absoluta, quod non nisi in instanti extrinseco contingit.

Contra eam tamen videtur facere, quod ex illa videatur sequi posse dari Sacramentum informe respectu eius qui accesserit bene dispositus ad effectum Sacramenti recipiendum. Ponamus enim legitime dispositum accedere ad Sacramentum Baptismi, fieri poterit ut recipiat Sacramentum, & careat eius effectu, atque adeo recipiat Sacramentum informe. Quod probatur: instans extrinsecum Sacramenti potest esse instans extrinsecum vitae eius qui legitime dispositus accessit ad Sacramentum, quo casu non recipiet gratiam, & per consequens recipiens Sacramentum carebit eius effectu, quia gratia nulli confertur post hanc vitam, qui toto tempore vitae fuerit in mortali.

Resp. negando sequelam, si loquamur de eo quo moraliter potest contingere: nam moraliter non continget ut idem sit praecise instans extrinsecum Sacramenti & vitae recipientis Sacramentum. Quod si per causas naturales futurum esset idem instans, possumus dicere pertinere ad diuinam providentiam, ut non permittat talem mori eo instanti quo absque gratia esset discessurus.

ARTICVLVS II.

Vtrum gratia Sacramentalis aliquid addat supra gratiam virtutum & donorum?

Respondet addere diuinum quoddam auxilium ad finem cuiusque Sacramenti consequendum, ubi

Notan-

31.

Datur instans quo sonus sufficienter est sensibilis.

32.

Opposita sententia est probabilis.

Instantiae occurrit.

33.

Resp. affir.

Etia in iustificatione quæ sit per sacramenta, infunduntur virtutes. Trident.

S. Thom.

34.

Probabile est dona non esse habitus distinctos a virtutibus.

Gratia Sacramenti supra gratiam habitualem addit peculiarem ordinationem & auxilia ad effectum Sacramenti.

35.

Declaratur in singulis Sacramentis.

Notandum 1. quod cum in omni iustificatione, præter gratiam habitualem, infundantur virtutes tam theologicæ quam morales christianæ, ut communiter Doctores; eadem infundantur in iustificatione, quæ sit per Sacramenta, ita ut si non præfuerint, primò infundantur: si verò præfuerint in subiecto, augeantur. Theologicas infundi patet ex Trid. sess. 6. cap. 7. Secundò ex eo quod suo modo pertineant ad iustificationem. 3. specialiter patet de charitate, quæ vel est eadem cum gratia habituali, vel inseparabili nexu illam comitatur. videri potest Trid. sess. cit. can. 11. Quartò ut D. Th. virtutes censentur fluere à gratia tanquam perfectiones quibus potentia animæ perficiuntur in ordine ad suos actus, ex quo sequitur virtutes morales christianas, quæ ad vitam christianam transigendam etiam requiruntur, infundi.

Censet etiam D. Thom. per Sacramenta infundi dona, quæ à virtutibus docet distinguere 1. 2. quaest. 68. art. 1. quod etiam tenent plures alij. Sed non est improbabilis opinio quæ docet dona non esse habitus distinctos à virtutibus, sed esse vel ipsas virtutes secundum gradum heroicum, vel ipsarum virtutum quosdam actus excellentes, quod docent graves Doctores, estque accuratius examinandum 1. 2. Iuxta posteriorem sententiam dicendum est per Sacramenta non infundi dona habitualia distincta à virtutibus.

Notandum 2. quod cum Christus Sacramenta ad varios fines particulares instituerit, Deus ratione eorum non solum infundat gratiam habitualem & habitus virtutum, sed etiam concedat varias gratias, quas Theologi appellant præuenientes, seu auxilia actualia ad finem Sacramentorum accommodata. Vnde gratia sacramentalis supra habitum gratiæ sanctificantis & virtutum, addit peculiarem quandam Dei ordinationem ad consequendum effectum proprium Sacramenti, & ad eundem finem auxilia actualia, ut D. Th. & communiter Doctores.

V. g. Baptismus instituitur ad spiritualem generationem, & primam sanctificationem: vnde in illo datur gratia ut regeneratiua, dantur etiam ratione illius auxilia actualia ad hanc vitam novitatem seruandam. Ratione Confirmationis præter gratiam sanctificantem, conceduntur homini auxilia actualia ad liberam fidei professionem, & ad resistendum tentationibus allicientibus ad fidem in persecutione negandam; cum Confirmatio ad illum finem sit instituta. Ratione Eucharistiæ datur gratia tanquam animæ nutrimentum & auxilia actualia ad vitam spiritualem in nobis seruandam; item auxilia ad actus deuotionis charitatis, & ad spiritualem consolationem. Ratione Penitentia datur gratia per quam resurgamus à peccato post baptismum commissum, & proinde datur per modum cuiusdam spiritualis curationis à morbo lethali: dantur etiam auxilia ad vitam emendandam; ad dolorem de peccatis concipiendum, ad satisfactionem præstandam. Ratione Extremæ Vntionis datur gratia ad abstergendas reliquias peccatorum, ad robur contra tentationes in illa extrema lucta, ad spirituale animi alacritatem; dantur etiam auxilia actualia ad illos fines opportuna. Ratione Ordinis præter gratiam habitualem ordinatus recipit gratias actuales consentaneas fini suæ ordinationis. Ratione Matrimonij præter gratiam habitualem coniugibus dantur actuales gratiæ ad mutuum amorem, ad fidem comparti seruandam, ad honestam proles educationem.

Moralis ratio cur huiusmodi gratiæ concedantur est, quod gratia habitualis quæ per singula Sacramenta conceditur, non possit se sola hominem aptè disponere ut facile & constanter operetur, vel sese habeat convenienter fini cuiusque Sacramentis; neque illum ita fimet ut possit omni euentu contrariis tentationibus commodè resistere. Vnde moraliter necesse est præter dictam gratiam sanctificantem concedi auxilia actualia, quæ id præstent.

Dices hæc auxilia debentur homini ratione iustitiæ, cum homini iusto debeantur auxilia quibus iustitiam possit conservare; ergo non debentur ratione Sacramenti.

Resp. quidquid sit de antecedente (quod 1. 2. in materia de gratia est examinandum) negando consequentiam: quamuis enim status iustitiæ postulet dari homini gratias præuenientes, quibus illum conseruet, non obstat quod minus etiam ratione Sacramenti debeantur ad finem cuiusque Sacramenti obtinendum: videturque verius ratione Sacramenti dari noua auxilia, & cum qui per Sacramentum iustificatur vel augmentum gratiæ recipit, recipere auxilia, non solum quia habet gratiam, sed etiam virtute Sacramenti videturque probabilius huiusmodi auxilia non æqualiter tribui ratione singulorum Sacramentorum, sed longè plura deberi & dari ratione vnius quam alterius. v. g. plura deberi ratione baptismi quam ratione vnius communionis, cum per baptismum vitam spiritualem acquiramus ad cuius conservationem plura requiruntur auxilia, quam moraliter debeantur ratione cibi spiritualis semel sumpti: veriusque videtur ratione vnius communionis dari certum numerum gratiarum præuenientium, non autem per totam vitam: & in genere videtur quod propter Sacramenta quæ repeti non possunt, plures gratiæ præuenientes concedantur, quam propter ea quæ possunt repeti, & inter hæc esse etiam inæqualitatem.

Aduerte hæc auxilia non statim concedi completo Sacramento, sicut diximus conferri gratiam sanctificantem & habitus virtutum; sed conferri suo tempore iuxta varias exigentias. Ratio diuersitatis est, quod gratia & habitus virtutum sint aliquod permanens, quod totum simul potest concedi, & potest commodè dari quando Sacramentum completur; vnde non est ratio differendi: gratiæ verò præuenientes non sunt quid vnum, sed multitudo auxiliorum, quæ commodè iuxta subiecti necessitatem diuersis temporibus conceduntur.

Petes num huiusmodi auxilia debeantur constituto extra gratiam? Videtur enim quod sic, quia Sacramentum operatur suum effectum iuxta exigentiam eiusdem effectus; gratiæ autem præuenientes iuxta naturalem suam conditionem & exigentiam non requirunt statum iustitiæ in subiecto; ergo possunt virtute Sacramenti deberi & conferri constituto extra gratiam. Confit. constitutus extra gratiam non minus illis indiget ad finem Sacramenti, immò fortè magis, quam constitutus in gratia: v. g. maritus qui excidit à gratia sanctificante, non minus indiget auxilio præuenienti ut fidem comparti possit seruare, quam is qui gratiam per Sacramentum collatam retinet.

Resp. quamuis hæc argumenta videantur partem affirmantem reddere probabilem: negatiuam tamen videri probabiliorē, quam indicat Sotus dist. 1. q. 3. art. 2. §. contra hanc verū; & tenet Suarez disp. 7. sect. 4. Quia gratiæ præuenientes seu actualia

Obiectio.

36.

Resp.

Videntur ratione Sacramenti dari noua auxilia supra quam debentur ratione iustitiæ.

37.

Conferuntur ea sine tempore iuxta rerum exigentiam.

Quæstio. An debeantur hæc auxilia constituto extra gratiam.

38.

Resp. Probabilior est non deberi. Sotus. Sum.

auxilia

Sufficit gratia habitualis.

auxilia non videntur deberi ratione Sacramenti, nisi mediante gratia habituali tanquam primario effectu Sacramenti: quia enim Christus Sacramenta ad varios fines particulares instituit ad quos gratia sanctificante opus est, decrevit hanc per ipsa Sacramenta conferre: quia verò ea se sola non possunt hominem in ordine ad praedictos fines constanter disponere, idcirco eidem adiungit auxilia actualia, quibus gratia ornatus possit constanter operari, vel sese habere in ordine ad praedictos fines; igitur quando homo à gratia excidit, huiusmodi auxilia non debentur illi ratione Sacramenti, & si illi concedantur gratie praeuenientes (quod fieri patet experientia), conceduntur ex nuda Dei misericordia, & verisimilius est rariùs concedi. Ex his patet responsio ad obiecta in contrarium.

Ex his colligi potest quanto studio homo gratia sanctificantem conservare debeat, & evitare mortale etiam ex eo capite, ut sese non priuet innumeris gratijs & auxilijs praeuenientibus necessarijs ut finem Sacramenti quod suscepit, assequi valeat.

D V B I V M

Utrum praeter gratiam & virtutes ratione Sacramenti conferatur aliquid aliud habituale.

NO T A N D U M in praesenti controuersia non esse quaestionem de caractere vel etiam de donis, sed de peculiari aliquo habitu.

Paludanus in 4. dist. 2. quaest. 3. sentit talem habitum conferri per Sacramenta. Capreolus dist. 3. quaest. 3. in responsione ad argumenta contra 4. conclusionem, docet per Sacramenta non imprimi characterem conferri quemdam ornatum.

Sed communis DD. negant. Caiet. hic; Sotus dist. 1. q. 3. art. 2. Canus relectione de Sacramentis in genere parte 4. conclusionem 2. & plures alij. Quae sententia est omnino verior, videturque D. Th. hic docentis gratiam sacramentalem praeter virtutes & dona, addere diuinum auxilium, qua loquendi forma indicat nihil aliud habituale infundi praeter gratiam, virtutes, & dona: nam per diuinum auxilium D. Th. non solet quidquam habituale designare, sed solum actuale. unde

Dico per Sacramenta non conferri habitus distinctus à gratia sanctificante, virtutibus, & donis.

Probat. 1. de tali habitu nihil nobis innotescit ex Scripturis, Patribus, vel Concilijs; neque potest quidquam solidè colligi ex ratione in principijs fidei fundata: ergo videtur omnino reiiciendus. 2. gratia sanctificans cum virtutibus per modum habitus abunde sufficit ad fines Sacramentorum; ergo alius habitus est reiiciendus. Antecedens probatur, quia per gratiam habitualem homo in baptismo regeneratur, in poenitentia sanatur, in Eucharistia nutritur, in extrema vnctione reliquiae peccatorum tolluntur. 3. per eandem gratiam anima ornatur; ergo contra Capr. ornatus à gratia distinctus non est admittendus: cum gratia omne id praestet quod ornatus superadditus fingitur praestare. Et si quando Patres sentiant animam ornari, non loquuntur de alio ornatu quam de gratia, per quam anima ornatur, redditur munda, Deo chara & in conspectu eiusdem pulchra.

Dices 1. gratiam non posse sufficienter ordinare ad fines variorum Sacramentorum.

Resp. negando assumptum, si intelligatur de ordi-

dinatione habituali: quatenus enim per varia Sacramenta conferitur, eadem physice existens diuersam rationem aliquo modo sortitur, ut scilicet censeatur ratione baptismi gratia generatiua, ratione poenitentiae curatiua, &c. & per auxilia actualia debita ratione Sacramenti huiusmodi fines consequi potest.

Dices 2. D. Th. responsione ad 3. censet quòd ratio gratiae sacramentalis se habeat ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus; igitur superaddit aliquid habituale. Propter hanc doctrinam Pal. & Capr. in suam sententiam pertracti sunt.

Sed certum est nullo modo sequi quod intentum, neque id velle D. Th. sed tantum quòd gratia sacramentalis aliquid dicat ultra gratiam habitualem, &c. ipsa videlicet auxilia actualia quibus homo ordinatur ad fines Sacramentorum, non verò quod sit species strictè sumpta.

A R T I C V L V S I I I.

Utrum Sacramenta nouae legis continent gratiam?

A F F I R M A T. quod est de fide definitum in Conc. Flor. decreto de Sacramentis, & in Trid. sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere. Patet quia causa optimè dici potest suum effectum continere, propter quem continendi modum Sacramenta à Doctoribus appellantur vasa gratiae, non quòd tanquam pyxis gratiam tanquam liquorem materialiter contineant, sed quòd eam tanquam instrumenta causare possint. quo modo phrasi Scripturae, instrumenta quibus Deus mortem infert, dicuntur vasa mortis.

Ex quo patet Calu. calumnia qui lib. 4. instit. cap. 14. §. 17. hunc modum loquendi traducit, perinde ac si per illum Doctores catholici vellent gratiam in Sacramentis tanquam in pyxide materialiter contineri.

A R T I C V L V S I V.

Utrum in Sacramentis sit aliqua virtus gratiae causatiua?

P R A M I T T I T quorundam opinionem docentium quòd Sacramenta non causent gratiam, nisi per quandam concomitantiam, iuxta quos non est in Sacramentis virtus gratiae causatiua. deinde

Respondet in Sacramentis esse quandam instrumentalem virtutem ad inducendum sacramentalem effectum. Dicit autem eam virtutem habere esse transiens ex vno in aliud, & incompletum, seu, ut docet articulo praecedenti, illam virtutem esse fluentem, & incompletam in esse naturae. Quae explicatio subobscura duobus modis potest intelligi iuxta Caiet. hic: vno modo ut sit sensus, quòd virtus instrumentalis Sacramentorum sit virtus superaddita motui, quo Sacramentum mouetur à principali agente, sitque qualitas aliqua spiritalis habens esse fluens per modum motus, immò sit ipsa gratia secundum esse fluens & incompletum; quem sensum Caiet. dicit esse communem. Alio modo potest intelligi ut virtus instrumentalis nihil sit aliud quam motus, quo instrumentum mouetur à principali agente ad effectum eiusdem agentis, quod sentit ipse Caiet.

EXPOSITIO
DE
SACRAMENTIS
D. THOMAE

41.
Resp. affir.
Florent.
Trident.

Sacramenta
vasa gratiae.

Caluini calumnia.

42.
Quorundam
opinio.

Resp.

43.
Quomodo
intelligatur
S. Thomas.

D V B I V M.

Quomodo Sacramenta sint causa gratiae?

QUAMVIS de fide constet Sacramenta nouae legis gratiam conferre; controuertitur tamen qua ratione ad gratiae productionem concurrant, pluresque sunt hac de re sententiae.

44.

Multae ac
diuersae sen-
tentiae.Durand.
Ocham.
Gabriel.

Prima sententia esse potest, quam recenset D. Th. eorum scilicet qui ponebant Sacramenta non causare gratiam nisi per quandam concomitantiam.

Secunda asserit Sacramenta non producere gratiam, sed causas esse sine quibus non. Durand. in 4. distin. 1. quaest. 4. Ocham quaest. 1. circa 2. principale paulo ante dubium 1. Gabriel quaest. 1. art. 2. conclusione 7.

Palud.
Capr.

Tertia sententia tenet Sacramenta non attingere gratiam, scilicet immediate, sed quod subiectum disponant producendo aliam formam. Inclinat Pal. dist. 2. quaest. 3. tenet autem dist. 1. quaest. 1. conclusione 2. similiter Capr. dist. 3. quaest. 3. & alij ex discipulis D. Thom.

Scotus.

Quarta censet Sacramenta nulla actione physica attingere gratiam, vel aliquam prauiam dispositionem, sed esse causas dispositiuas. Scotus dist. 1. quaest. 5. §. ad primam ergo quaestionem dico.

45.
Sotus.

Quinta sententia est Soti dist. 1. cit. quaest. 3. art. 1. §. est ergo tertia opinio, existimantis Sacramenta non causare gratiam, quae sit qualitas, sed eatenus dici gratiam conferre, quod hominem absque vlla intermedia dispositione faciant Deo gratum & acceptum. Quae sententia duobus modis potest intelligi: vno modo quod velit Sacramentum non esse instrumentum productiuum ipsius gratiae sanctificantis, sed vnionis eiusdem gratiae cum homine, eaque ratione dicatur hominem Deo gratum facere, quemadmodum homo hominem generat, non producendo animam, sed illam materiam vnendo. & ita sententiam Soti explicat Vasquez disp. 132. cap. 2. in 7. opinione. Alio modo potest intelligi, quod velit Sacramenta conferre gratiam nullam qualitatem producendo, vel vnendo, sed quia hominem Deo gratum faciunt, quod asserit fieri posse absque vlla qualitate. quamuis enim existimet aliquod donum homini infundi quando assumitur ad diuinam amicitiam, censet tamen ex rei natura id non requiri, & proinde Sacramenta posse intelligi conferre gratiam, quamuis non sint causa illius doni. adde nec sint causa vnionis doni cum homine Sacramenta recipiente. Et quamuis §. dicamus ergo in summa, adducat similitudinem generationis hominis, cuius dicit hominem esse causam, eo quod anima vnietur, non obstat quod minus in posteriori sensu eius sententiam possimus accipere, quia satis ostendit similitudinem generationis hominis eatenus adduci, ut explicetur quomodo Sacramentum dici possit gratiam conferre, scilicet eo quod hominem Deo gratum reddat, quamuis qualitate non producat.

46.

Caiet.
Alan.
Bellarm.
Henric.
Suar.

Sexta sententia tenet Sacramenta physice concurrere ad gratiae productionem, seu tanquam physica instrumenta. Est Caiet. art. 1. & 4. huius quaest. 35. Bell. lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 11. §. tertio igitur responderi potest. Henriquez lib. 1. cap. 16. §. 4. Suarez tomo 3. disp. 9. sect. 2. §. dicendum est; & multorum Thomistarum.

Septima sententia asserit Sacramenta conferre gratiam & concurrere ad eiusdem productionem, non tanquam instrumenta physica, sed tanquam

moralia. censet ergo haec sententia Sacramenta solum esse causas morales morali influxu concurrentes ad gratiae productionem. Tenet Caiet. relectione de Sacramentis in genere, parte 4. post 6. conclusionem. Vasq. disp. cit. cap. 5. eamque attrigerat 1. 2. q. 107. disp. 184. cap. 3. §. possit quis. Iuxta quam sententiam non difficulter possunt explicari varia supra relatæ, quae licet minus commodè loquantur, in re tamen nihil aliud volunt, quam Sacramentis physicam efficientiam negare; & peculiariter nihil aliud videtur velle Scotus supra: & haec sententia dicitur communior antiquorum & recentiorum, vide Sotum art. 1. & 4.

Caiet.
Vasq.

Notandum primam sententiam esse omnino improbabilem, si differat ab vltima. nam quod solum causat per concomitantiam, id est quod solum concomitatur causam per se causantem, non potest dici causare, neque ratione illius concomitantiae possunt attribui Sacramentis, ea quae ex scripturis & Concilijs constat ipsis competere, ut ex dictendis constabit. Fortè tamen per illum modum loquendi minus commodum, & per hanc concomitantiam, antiqui Doctores solum volebant negare virtutem aliquam physicam Sacramentis respectu gratiae competere, & volebant asserere virtutem diuinam Sacramentis assistentem effectui sacramentali operari, scilicet physice: ex quo manifestum est illos auctores noluisse excludere concursum morale a Sacramentis respectu productionis gratiae.

47.
Iudicium
Auctoris de
1. sententia.

Secunda etiam sententia est improbabilis, nisi in re idem velit quod vltima. cum nullo modo satisfaciatur Concilijs & scripturis docentibus Sacramenta causare gratiam. Concilium enim Flor. tradit nostra Sacramenta continere gratiam, & ipsam conferre. Id ipsum tradit Trid. sess. 7. can. 6. cit. quod verò solum est conditio sine qua non, non potest dici aliud continere vel conferre, cum nullo modo physice vel moraliter attingat. Constat. Concil. Trid. in proemio sess. 7. cit. docet per Sacramenta omnem veram iustitiam vel incipere, vel ceptam augeri, vel amissam reparari; quae omnia valde impropiè dicuntur de eo quod solum est conditio sine qua non. Consimili modo loquitur Scriptura quando dicit baptismum ablueri peccata, mundare, esse lauacrum regenerationis. Aug. etiam tract. 80. in Ioan. dicit quod aqua cor abluat, scilicet in baptismo. Scriptura etiam de Eucharistia dicit quod vitam eternam tribuat. Præterea forma consecrationis designat, quod Christi corpus per illam verè ponatur sub specie panis: forma absolutionis designat quod sacerdos verè absoluat poenitentem, quae loquendi formulae non quadrant in nudas conditiones.

48.
Quid sen-
tendum de
secunda?Vasquez
improba-
bilis, si in re
differat ab
vltima.

Accedit ratio: conditio sine qua non vel est remouens prohibens, vel est conditio requisita ex parte subiecti. Constat priorem non posse absolute dici continere effectum, vel eum causare, nam qui remouet asserit intermedium inter ignem & hominem, non idcirco potest dici hominem calefacere, igitur si Sacramenta tantum sint conditiones sine quibus non, eo quod remoueat prohibens, non possunt dici gratiam causare. Adde vix posse concipi quidnam per Sacramentum remoueat vel remoueri debeat, quo sublato conferatur gratia. Conditio etiam secundo modo sumpta non potest dici continere effectum, vel eundem causare, & per consequens Sacramenta non possunt dici causare gratiam. Antecedens probatur: subiectum non potest dici causare effectum qui in illo producit, non potest dici eundem continere, eo sensu quo illae voces à

49.
Conditio
sine qua
non, non est
causa efficiens.

Conci-

Concilio & Doctoribus in hac materia sumuntur. Concilia enim agunt de causa suo modo effectiva, sicut & Scriptura.

Tertia sententia nullo modo est admittenda. 1. ut gratia in anima recipiatur nullam requirit dispositionem habituales præcuiam, ut satis insinuat Trident. sess. 6. cap. 6. quatenus accuratè recensens modum quo homo præparatur ad iustificationem, nunquam meminit dispositionum habituales. agit autem etiam de iustificatione per Sacramenta, ut patet ex cap. 7. eiusdem sessi.

Confir. quando iustificamur extra Sacramenta huiusmodi dispositio non requiritur, cum abunde sufficiat amor Dei super omnia, vel contritio ut gratiam consequamur & iustificemur; ergo neque requiritur ad iustificationem per Sacramenta acquirendam. Cur enim potius in eo casu requireretur, quam in priori? certe non apparet ratio discriminis.

2. Formam quam secundum illam sententiam producent Sacramenta, & qua mediante dicuntur gratiam conferre, vel est immediata dispositio ad quam necessitate physica sequitur gratia, vel solum est remota. Prius dici nequit, cum in Sacramentis quæ repeti non possunt, character dicatur esse huiusmodi forma. constat autem quod gratia non necessario conferatur quodcumque recipitur character sacramentalis.

Confir. si character esset ultima dispositio ad gratiam, qui semel baptismum recepisset nunquam posset excidere à gratia, cum character per baptismum impressus sit indelebilis. consequens autem est contra fidem. Porro non est maior ratio cur ornatus (qui ponitur dispositio ad gratiam) sit ultima & immediata dispositio ad gratiam in Sacramentis quæ possunt repeti, quam character, in illis quæ repeti non possunt. Posterius verò non sufficit ut Sacramenta dicantur gratiam conferre, id est non sufficit quod sit dispositio remota: cum enim effectus non necessario sequatur ad dispositionem solum remotam, illud nullo modo potest dici effectum ponere, quod solum ponit remotam dispositionem: Sacramenta verò secundum Concilia &c. dicuntur gratiam conferre, operantur remissionem peccatorum.

3. Si Sacramenta possent dici conferre gratiam, eò quod producant huiusmodi dispositionem, adultus recipiens Sacramentum eadem ratione dici poterit gratiam conferre, quod tamen est inaudibile, & nullo modo admittendum. Assumptum probatur: adultus ponit dispositionem ad gratiam receptionem per Sacramentum necessariam, immo propinquius se habentem ad gratiam, quam se habeat ornatus vel character, ut patet ex dictis; igitur a quali iure poterit dici gratiam conferre.

4. Peculiariter contra ornatum militat rationes, propter quas supra diximus huiusmodi qualitatem distinctam à gratia & virtutibus non esse admittendam. Militat etiam quod talis ornatus dicatur produci per Sacramenta, eò quod auctoritas illius sententia existimet gratiam produci per creationem, ad quam creationem Sacramenta nequaquam instrumentales iuxta illos possunt concurrere: falsum verò est gratiam creari, cum sit actus naturalis suam conditionem postulet subiectum cui inhereat, & proinde postulet produci per actionemeductam.

Confir. Concil. Trident. sess. 6. can. 11. tradit ipsam gratiam inherere: ergo non producit per

creationem, cum creatio tendat ad res subsistentes.

Præterea etiam si diceretur gratia creari, non aptè conficitur intentum. non potest enim solida ratio adferri, cur gratia creetur & non creetur ornatus, cum sit supernaturalis quædam qualitas habitualis eiusdem ordinis cum gratia ad quam disponit. Si dicatur gratiam esse longè perfectiorem: Respondetur id non obviare, quia maior perfectio specifica non sufficit, ut vnum dicatur creari, alterum verò non, quando utrumque est eiusdem ordinis: quod si ornatus dicatur etiam creari, satis patet non posse iuxta illam sententiam produci per Sacramenta, & proinde Sacramenta non posse gratiam conferre eò quod producant ornatum, qui ad eandem gratiam disponat.

3. Ornatus vel necessario producit per Sacramentum, vel non producit necessario: si dicatur secundum, absque sufficienti ratione dicitur Sacramentum producere ornatum, qui disponat ad gratiam, cum Sacramentum non operetur per modum causæ liberæ, sed necessariæ.

Dices necessario produci in subiecto disposito.

Verum id dici nequit: vel enim subiectum debet disponi alia dispositione habituali, & ita abibitur in infinitum, quia de qualibet dispositione quæretur num subiectum debeat disponi ad illam recipiendam; nec poterit solida ratio adferri cur potius sistatur in vna quam in alia: vel debet disponi dispositione actuali; & neque id cum ratione dici potest, cum non appareat quinam actus censeatur dispositio ad hunc ornatum. Confir. Sacramenta characterem imprimentia non requirunt peculiarem dispositionem, sed voluntas quæ sufficit ad Sacramenti receptionem, sufficit ad characterem.

Si dicatur necessario produci: iam constat non esse dispositionem proximam ad gratiam, cum Sacramentum non conferat gratiam illud cum obice recipienti.

Quinta etiam sententia falsa est, siue intelligatur ut eam explicat Valquez, siue intelligatur eo modo quo eam explicuimus. Et quidem si priori modo explicetur patet eius falsitas, ex eo quod gratia non creetur, ut paulò antè ostendimus, quod tamen existimat Sotus, qui ideo prædictum modum adinuenit, eò quod censet Sacramentum non posse producere gratiam, eò quod illa creetur.

2. Ex dictis constat iuxta doctrinam Conciliorum Sacramenta nouæ legis non tantum facere hominem Deo gratum, sed causare gratiam: non possent autem dici gratiam causare, si eius productionem non attingerent, sed solum eam animæ vniunt: quemadmodum homo hominem generans non potest dici causare animam rationalem, quantumvis illam materiam vniat, eò quod animam non producat. Simili de causa Sacramenta non possent dici eandem gratiam continere, (quod tamen tradunt Concilia) quandoquidem homo generans non potest dici continere animam rationalem generantem, ex eo quod illam materiam vniat. Confir. continentia secundum quam Sacramenta dicuntur gratiam continere, non est continentia loci respectu locati, vel totius respectu partis, vel alia similis; sed est continentia causæ respectu sui effectus, seu qua aliquid tanquam causa dicitur suum effectum continere: si ergo Sacramenta non comparentur ad gratiam qualitatem realiter inhaerentem animæ tanquam causa ad effectum, non possunt dici ipsam continere.

53.

54.

Falsa est etiam quinta sententia.

Sacramenta nouæ legis, non tantum faciunt hominem Deo gratum, sed causant ipsam gratiam.

55.

Sacramenta continent gratiam, siue causa effectum.

T

Eadem

Eadem Soti sententia iuxta 2. explicationem à nobis allatam ex eo refellitur, quod constet de potentia ordinaria nullum constitui Dei amicum absque iustitia sibi inherente, seu qualitate per quam Dei amicus constituitur; ergo Sacramenta non possunt dici gratiam conferre reddendo hominem Deo gratum absque vlla qualitate intermedia. Consequentia probatur: Sacramenta sunt causa iustificationis, seu quod homo fit Dei amicus; ergo debent esse causa illius per quod formaliter Dei amicus constituitur, scilicet gratiae iustificantis.

Confir. 1. Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. asserens iustificationem fieri infusione iustitiae, inter alias causas ponit baptismum tanquam causam instrumentalem huius iustificationis; ergo baptismus causat gratiam, non quomodocumque hominem gratum efficiendo, sed tanquam instrumentum ipsius infusionis gratiae, per quam fit formaliter iustus & Deo gratus.

Confir. 2. si Sacramenta solum praedicto modo dicerentur gratiam conferre, solum illis tribuenda esset causalitas moralis, quod tamen non admittit Sotus. His praemissis videndum vtra ex ultimis sententiis sit probabilior. vbi

56.

Notandum hanc quaestionem nullò Ecclesiae decreto esse definitam, & licere salua fide vtramvis partem tueri.

Pro quo notant aliqui, Patres Concil. Trident. vbi agitur de Sacramentis, etiam si vrantur illis receptissimis apud omnes Catholicos locutionibus, Sacramenta gratiam continere, gratiam conferre, & gratiam per ea dari, studiosè tamen abstinuisse à vocabulis instrumenti, causa, virtutis, efficaciae. Sed id minus solidè traditur: nam Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. cit. enumerans causas iustificationis dicit: *Instrumentalis item, Sacramentum baptismi*, quo loco baptismum vocat causam iustificationis, & instrumentum. Similiter Florent. in decreto de Sacramentis assignans differentiam inter Sacramenta antiquae legis & novae, dicit: *illa enim non causabant gratiam, sed cum solum per passionem Christi dandam signabant: haec vero nostra continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*, qua antithesi satis declarat se velle tradere nostra Sacramenta esse causas gratiae, si enim id non intendat, cur in eo opponit antiquis, quod illa gratiam non causarent? Confir. non possunt cum fundamento assignare alium modum, quo nostra Sacramenta dici possint gratiam continere, & conferre, quam modum causa, ut ex dictis patet; ergo Concilia ita loquendo satis indicant se tradere Sacramenta esse causas gratiae. Nec erat cur illum modum resugerent, cum August. tract. 80. in Ioan. aliquoties citato, tribuat aquae in baptismo virtutem cor abluendi, & alibi eodem nomine virtutis vtatur: similiter & alij Patres censeant Sacramenta operari remissionem peccatorum. Supponendum igitur etiam iuxta Concilia & sensum Ecclesiae Sacramenta esse causas gratiae. est videndum qua ratione probabilius causa dici possint.

August.

57.

Conclusio.
Sacramenta causant gratiam, non physice, sed moraliter.
x. Ratio.

Resp. & dico probabilius videri Sacramenta non causare physice gratiam, sed tantum moraliter, atque adeo respectu illius tantum esse instrumenta moralia.

Probat 1. principium quod in Sacramentis concurrunt ad gratiae productionem & ratione cuius Sacramenta dicuntur gratiam conferre, non est quidquam physicum, atque adeo non potest influxu physico quidquam producere; igitur ipsa Sa-

cramenta non possunt physice gratiam producere.

Antecedens pro priori parte probatur: Sacramenta causant gratiam media significatione, cum voces assumptae ad esse sacramentale & ad gratiam conferendam, non sint assumptae prout sunt nudus sonus, sed ratione significationis. Quod etiam ex eo potest ostendi, quod quocumque idiome forma pronuntietur, & quantumvis mutentur verba materialia, si retineatur eadem significatio, & sensus formalis verborum, adsintque caetera, conferetur gratia. Ex quo patet voces sacramentales conferre gratiam ratione significationis, & proinde id ratione cuius dicuntur gratiam conferre, non esse quidquam physicum, cum significatio nihil physicum ponat in vocibus significantibus: quod enim aliqua verba deputentur ad hoc vel illud significantum, nihil reale in illis ponit. Secunda pars eiusdem antecedentis probatur: quod nullum esse physicum habet non potest physicum influxum praebere, nec quidquam physico influxu producere, cum ens physicum & reale debeat habere pro suo principio physico ens reale.

Probat 2. gratia quae per Sacramenta confertur, non potest dici solum conferri ratione ultimae syllabae ipsorum verborum, sed ratione omnium & totius orationis, ita ut vis causandi insit singulis syllabis partialiter, quatenus concurrunt ad unam orationem constandam; immo ad eandem gratiae productionem concurrunt id quod vocamus materiam: hoc autem posito dici nequit Sacramenta physice gratiam conferre. Maior probatur: voces sacramentales verbi gratia haec: *Ego te baptizo &c.* non assumuntur ad esse sacramentale ratione solius ultimae syllabae, neque ultimae syllabae dici debet forma sacramentalis connotando solum praecedentes syllabas per modum cuiusdam conditionis, sed tota oratio est forma, & singulae eius syllabae concurrunt ad formam constituendam; igitur vis causandi gratiam est in omnibus simul sumptis, seu in tota oratione, & in singulis syllabis partialiter, atque adeo non potest dici sola ultima syllaba eam conferre.

Confir. in forma, verbi gratia in oratione relata, id totum concurrunt ad gratiae collationem, quod concurrunt ad significationem, & in quo ipsa significatio fundatur; illa autem fundatur in tota oratione, prout est sonus successivus conflatus ex sono singularum syllabarum; igitur tota oratio secundum omnes suas partes concurrunt ad gratiam, ita ut tota forma dicatur gratiam conferre, non solum tanquam subiectum denominationis, sed etiam ut principium quo, seu tanquam id cui secundum se totum competat vis causandi gratiam.

Minor vero argumenti probatur: quando producit gratia, non existit physice tota oratio, cum plerique eius partes praeterierint & desierint esse; ergo non possunt concurrere physice, & proinde Sacramenta non sunt physica instrumenta productionis gratiae. Antecedens probatur: gratia non producit antequam sacramentum compleatur; quando autem completur, constat pleraque orationis partes praeteriisse. Adde quod forma interdu finiatur antequam applicetur materia, immo una pars interdum iusto intervallo aliam praecedat. Consequentia vero probatur: quod non habet vllum esse physicum, non potest physice quidquam producere; cum non possit physicum influxum praebere.

Confir. 1. quod nunquam fuit non potest physice

Viscous
in Sacra-
mentis
est ali-
quod
physicu-
sed mora-
le
no.

2. Ratio
Totalitatem
concurrunt
ad gratiam
& non so-
lum vltimae
syllabae

Quod non
est physice
non potest
physice
producere

fluxum influxum tribuere, ut videtur per se notum; ergo nec iam potest id quod antea quidem fuit, sed iam non est: nam quod antea fuerit, nihil fa-
ad physicum influxum præsentem. Probatur: in-
fluxus realis præfens dicit ordinem realem & rea-
lem dependentiam ab eo quod huiusmodi influ-
xum præbet; non potest autem realis ordo & de-
pendentia esse ab eo quod eodem tempore reali-
ter non est. Quod confirm. 2. ex eo quod quidam
auctores contrariae sententiae propter illud argu-
mentum existimant, quando Sacramenta quæ
relinquunt gratiam conferunt, quam non contu-
lerant dum recipiebantur, eam solum moraliter
conferre. Alij existimantes physicè concurrere,
sentiant id fieri per virtutem quam relinquunt:
inter quos est Henriquez lib. 1. de Sacramentis in
genere cap. 25. qui satis laborat ut in singulis Sa-
cramentis eam virtutem inueniat, & dicit varia
parum probabilia. Ex quo satis patet commu-
niori conceptu id quod nullum esse physicum for-
tetur, non posse eo tempore realem influxum præ-
bere.

Ex quo sequitur videri improbabilem quorun-
dam sententiam, qui existimant Christi passio-
nem, quæ iam præterit, esse causam physicam no-
stræ iustificacionis.

Dices ut Sacramenta dicantur gratiam physicè
causare, sufficere ut physicè causet vltima syllaba;
quæ id potest, cum existat quando gratia produci-
tur: quemadmodum homo dicitur videre, licet non
secundum omnes suas partes visionem eliciat, sed
solus oculus sit visionis principium.

Resp. id iam esse refutatum: nam ostensum est
virtutem causandi in Sacramentis non residere in
sola vltima syllaba, sed in omnibus simul sumptis,
& in singulis partialiter. Adde hanc rationem non
posse habere locum quando materia applicatur
postquam forma physicè desit.

Quod si dicatur eo casu solum materiam phy-
sicè concurrere: videri potest; vel sola materia
concurrit ad gratiæ productionem, vel etiam suo
modo concurrit forma. Prius dici nequit, cum
non sola materia constituat Sacramentum; omne
autem id debeat concurrere ad gratiam quod con-
currit ad Sacramenti constitutionem; immò vis
præcipua sacramentalis resideat in forma. Si di-
catur posterius, prout necessariò dicendum est;
cum forma eo casu non possit gratiam physicè
conferre, dicendum solum conferre moraliter;
cumque sit vnus rationis influxus in materia &
forma sacramentali, dicendum etiam influxum
materiam esse morale. Idem argumentum fieri
potest, quo casu materia applicetur antequam
forma pronuntietur. Exemplum hominis videntis
videtur minus solidum, quia homo tantum est sub-
iectum denominationis visionis, quod subiectum
non requirit ut secundum quamlibet sui partem
sit causa effectiva illius quod ipsi tribuitur.

Ex dictis etiam refelli potest alia responsio, quæ
contra nostram rationem adhibetur; quod scilicet
vltima syllaba possit gratiam physicè producere
in virtute præcedentium, & proinde Sacramen-
tum hac ratione commodè dici possit gratiam
causare.

Quæ responsio videtur minus solida. Vel enim
dicitur causare in virtute præcedentium ex eo præ-
terit quod vltima syllaba in eadem serie orationis
connectatur præcedentibus, vel quod aliquam vir-
tutem ab aliis impressam recipiat: neutrum autem
dici potest; non prius, cum solus nexus cum aliis

partibus in ratione successione non possit virtu-
tem tribuere illam non habenti, ut patet, cum sola
coniunctio materialis ipsorum sonorum eam vim
non habeat, & præsertim cum nexus partium ora-
tionis inter se sit valde diminutus; igitur si vltima
syllaba ex se (supposita diuinâ institutione) non
habeat virtutem producendi gratiam, non potest
eam acquirere ex eo solo quod aliis syllabis in ea-
dem orationis serie connectatur. Secundum etiam
dici non potest; cum non possit commodè expli-
cari quoniam hæc virtus à præcedentibus sylla-
bis producatur. Vel enim illæ producunt quando
proferuntur, & cum tunc non sit vltima syllaba,
non potest eam virtutem recipere, & per conse-
quens illa virtus non potest dici tunc produci: vel
producunt quando iam desinunt; quo casu redit
argumentum in secunda probatione à nobis fa-
ctum, quod scilicet illæ syllabæ tunc non habeant
physicam existentiam, & proinde non possint
quidquam physicè producere.

Ex secunda probatione deduco Sacramenta
non tantum non concurrere physicè ad gratiæ
productionem, sed etiam non posse concurrere
eo modo quo de facto concurrunt, scilicet se-
cundum omnes orationis partes, quarum aliquæ
desinunt esse priusquam aliæ ponantur. Quid-
quid enim sit de ea questione, Vtrum implicet
contradictionem creaturam assumi tanquam in-
strumentum physicum ad gratiæ productionem;
videtur omnino repugnare id assumi ut physicum
instrumentum quod non existit, ut ex dictis
patet.

Probatur 3. nostra Sacramenta dicuntur gra-
tiam producere tanquam instrumenta humanita-
tis Christi: sed respectu illius non possunt dici in-
strumenta physica. Minor probatur: cum non sint
instrumenta naturalia, debent dici supernatura-
lia, & respectu illius cuius dicuntur instrumenta
habere potentiam obedientialem; potentia autem
obedientialis creaturæ non est respectu alterius
creaturæ, sed respectu solius Dei, qui creaturam
suam potest eleuare ad effectus producendos supe-
rantes eius virtutem naturalem: cum ergo huma-
nitas Christi sit creatura, Sacramenta non debent
poni tanquam instrumenta eius physica gratiam
physicè conferre.

Hic discursus etiam ostendit non posse dici Sa-
cramentum producere gratiam ratione virtutis
productæ à præcedentibus syllabis in vltima; quia
hæc virtus deberet poni instrumentum Sacramen-
ti, & per consequens creaturæ; immò multò magis
contra illam virtutem militat ratio, cum Sacra-
mentum secundum vltimum sui constitutum
non sit ens reale physicum.

Probatur 4. secundum aliquorum sententiam,
qui censent Sacramenta esse physica instrumenta
gratiæ, aliquando non nisi moraliter concurrunt
ad eiusdem gratiæ productionem, ut in secunda
probatione inuimus; quando videlicet propter
obicem positum à recipiente non contulerunt gra-
tiam cum recipiebantur, & recedente fictione re-
uiviscunt. Si autem eo casu causalitas moralis
sufficiat, & ea posita censeatur satisfieri Scriptu-
ris, Conciliis, Patribus, qui videntur Sacra-
mentis tribuere virtutem respectu gratiæ, & si-
gnificare ea operari interiorem renouationem;
esse illius causas: eadem causalitas facile potest
in omni casu adstrui, ita ut non sit opus recur-
rere ad causalitatem physicam. Sequela patet:

63.

Corollarium.

3. Ratio.
Sacramenta
non possunt
esse instru-
menta phy-
sica huma-
nitatis
Christi.

64.

4. Ratio.
Sacramenta
interdum
moraliter
tantum con-
currere, con-
sent aliqui
ex aduersa-
rijs.

virtus instrumentalis physica à variis saltem contrariis sententiae ideo asseritur, quod non videatur aliter posse satisfieri Scripturis &c. concedentibus Sacramentis prædictam virtutem; vel ergo debent asserere in omni casu concurrere physice; vel si aliquo casu id non sit necesse, immò secundum illos dici non possit, non tenemur physicam causalitatem vlllo casu admittere, cum partim videatur impossibilis, vt ex dictis patet; partim propter illam recurratur ad varia parum solida & difficilia.

65.

Impugnatur qui docent Sacramenta physice concurre, etiam cum reuiuiscunt.

Alij quidem censent recedente fictione Sacramenta physice concurrere ratione virtutis à se relictae. Sed contra modum productionis illius virtutis faciunt omnia, quæ faciunt contra concursum physicum Sacramentorum respectu gratiæ, quod scilicet concurrant ad illam virtutem per suam significationem: item secundum omnes orationis partes. 3. tanquam instrumentum humanitatis: ergo non physice.

2. Quando Sacramenta conferunt gratiam dum recipiuntur, dicuntur eam immediate producere: cur ergo ad illam virtutem recurratur, quando eadem gratia conferitur dum Sacramenta reuiuiscunt?

3. Hæc virtus est excogitata vt physica causalitas adstruatur, quo scilicet casu gratia non conferatur quando recipiuntur Sacramenta; cum tamen non appareat quid sit, in qua potentia resideat, an sit indelebilis; si sit indelebilis, cur Sacramenta illam producentia repeti possint: si possit deleri, per quid? si per peccatum mortale; ergo illud impedit ne primo producat, & proinde eo casu recedente fictione gratia conferri poterit ratione Sacramenti, sine interuentu talis virtutis; ergo moraliter. argre etiam concipitur quænam sit illa qualitas spiritalis habens esse fluens per modum motus.

Instantia soluitur.

Dices saltem Sacramenta imprimuntia characterem go mediante poterunt dici gratiam physice producere.

Resp. id non dici solide; cum character non ordinetur ad illum effectum, sed ad alios fines, de quibus infra dicitur; ergo ea vis effectiua non est ei concedenda respectu gratiæ.

66.

Quibusdam alijs rationibus eadem conclusio probari solet, & eneruari causalitas physica Sacramentorum; quibus superfedeo, quod non videantur tantum robur habere: quemadmodum nec probatio quæ ex testimoniis Patrum petitur. nam sicut ad testimonia Patrum pro alia sententia citanda respondebimus, ita responderi posset ad testimonia, quæ nostræ sententiæ videntur fauere; & proinde censeo ex Patribus non posse pro alterutra sententia solidum peti argumentum.

Porrò quæ dicta sunt de Sacramentis respectu gratiæ, sunt etiam intelligenda de iisdem respectu characteris; quod scilicet Sacramenta characterem imprimuntia non concurrant physice ad eius productionem. Similiter eadem sententia est applicanda verbis consecratoris respectu Corporis Christi, quod sub specie panis ponitur &c. Conclusio minus est certa respectu gratiæ quæ conferitur per Eucharistiam, si enim humanitas Christi physice concurrat ad gratiam, dici potest eandem physice concurrere ad collationem gratiæ, quæ ratione communionis conferitur: de quo tamen forte suo loco.

Corollar.

Ex dictis sequitur Sacramenta esse causas morales gratiæ, cum enim constet esse causas, vt loquuntur Concilia, ostensum autem sit non esse

causas physicas, sequitur quod ad eisdem gratiæ collationem concurrat tanquam instrumenta moralia. Pro cuius rei maiori intelligentia

67.

Notandum: præter causas physicas, quæ scilicet physico influxu attingunt effectum, dari alias causas quæ dicuntur morales, & in suo genere sunt veræ causæ, talesque etiam vsu Theologorum & Iurisperitorum vocari solent. Sic David dicitur Vriam occidisse gladio filiorum Ammon, Christus dicitur esse sibi obtemperantibus causa salutis æternæ; consulens homicidium dicitur illius causas similiter mandans, quamuis circa passum nihil physice operetur.

Dantur alie quæ causæ morales.

Hæc causæ, vt patet, sunt in multiplici differentia: nam aliquis dicitur causa moralis effectus tanquam mandans, alius tanquam consulens; item is qui pro liberatione alterius pretium persoluit, dicitur causa liberationis illius; qui laborat in vinea alicuius est causa cur merces ei detur; qui se in alterius obsequium subternit, est causa meritoria præmij; qui pro alio intercedit, est causa cur alter beneficium impetret. quæ ratione sanctus Stephanus dicitur causa conuersionis sancti Pauli; & pij parentes qui preces ad Deum fundunt pro filiorum conuersione, dicuntur causa conuersionis eorundem. Contractus venditionis est causa cur emptor debeat venditori pretium persolvere.

Porrò quemadmodum in physicis constat dari instrumenta subservientia causis principalibus, ita in genere moris dantur causæ instrumentales, famulus enim deferens mandatum domini sui, suo modo dicitur causa eius quod fit ex tali imperio.

Et in his instrumentales tales aliquæ.

Ex his dicimus Sacramenta optime dici posse causas instrumentales morales gratiæ, quæ per illa conferuntur. sunt enim quædam instrumenta quibus Christus Dominus merita suæ passionis nobis applicat. Non enim tantum nobis gratiam est meritis, sed etiam est meritis vt gratia conferretur iis, qui ceremoniis quibusdam ab illo institutis vterentur, instituitque prædictas ceremonias, quibus meritum ipsius infallibili lege applicaretur eas suscipientibus, & proinde Sacramenta possunt dici instrumenta moraliter concurrentia ad gratiæ collationem; possunt dici eisdem gratiæ vala, eamque moraliter continere; possunt dici Christi meritum deferre, quæ per consequens non sunt dicenda nuda signa, sed signa practica, quæ causam principalem assistit Sacramentis ad gratiam infallibili lege illis conferendam, qui eadem Sacramenta legitime dispositi suscipiunt. Res potest declarari exemplo chirographi, quod morali modo censetur debitum continere, & tribuere vim creditori, vt pecuniam à debitore possit exigere.

Tales causæ sunt Sacramenta respectu gratiæ.

Proinde non sunt nuda signa.

68.

Dices 1. hæc sententia nihil aliud dicit quam prior sententia à D. Thom. in corp. art. relata, quamque videtur fecere.

Sententia Auctoris est in responsa, communis antiquorum.

Resp. in re nihil aliud dicere, & si bene explicetur non esse reiiciendam, & esse reipsa communem Doctorum antiquorum, quamuis vt supra notauimus aliqui minus commodè loquuti fuerint.

Dices 2. iuxta prædictum modum explicandi, Sacramenta tantum sunt condiciones sine quibus non; quod tamen supra reiectum est.

Resp. nos non absolute secundam sententiam reiecit, sed tantum si Sacramenta ita constituat condiciones, vt nullam in eis causalitatem agnoscat, & proinde si differat ab vltima: si verò illa loquendi forma non neget Sacramentis vim moralem.

lem

tem & causalitatem, quoad rem illam admitti-
mus.

Contra resolutionem Obicitur 1. quod Scri-
ptura omnino denotent Sacramenta esse causas
gratiae. ad Ephes. 5. de baptismo dicitur, *Mundans*
sanctum aqua in verbo vitæ. ad Titum 3. *Salvos nos se-*
ruit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus
sacri. Idem baptismus dicitur ablueri; sacerdos in
Sacramento penitentiae dicitur peccata condonare.
hæc & similes locutiones designant aliquam causa-
litatem & virtutem inesse Sacramentis respectu
gratiae.

Resp. concedo totum. non posse tamen ex ijs
& similibus locutionibus probari vim physicam,
sed solum in genere Sacramenta concurrere ad no-
stram sanctificationem, siue concurrant moraliter,
siue tanquam physica instrumenta.

Contra: Scriptura accipienda est in propria si-
gnificatione, quantum fieri potest: ergo Scriptura
quæ significat Sacramenta esse causas gratiae, de
causa propriè dicta est accipienda; causa autem
propriè dicta designat physicam; ergo.

Resp. negando subsumptum; nam causa potest
tam significare causam moralem quam physicam,
& quando iuxta subiectam materiam sumitur pro
moralis, Scriptura non intelligitur improprie, qui
enim alium imperio liberat, verè & propriè dicitur
liberare; & iudex adiudicans aliquem extremo
supplicio communi loquendi modo dicitur causa
mortis ipsius; ergo quando consimilia verba di-
cuntur de Sacramentis, non necessario sunt acci-
pienda ut physicam causalitatem denotent.

Contra: si quis ex præiudicio non adhareat al-
terius sententiae, ex Scriptura colliget physicam
causalitatem Sacramentorum; ergo probabilius
est Sacramenta secundum Scripturam physicè
concurrere ad gratiæ productionem, & interiorem
animæ renovationem.

Resp. virum doctum & perpendentem natu-
ram eius de quo est questio, non statim collectu-
rum physicam causalitatem ex generalibus modis
loquendi Scripturæ: cum possit eidem constare,
constare morali rem quæ per causam designatur, at-
tribui. ut cum dicitur, quod David occiderit
Uriam gladio filiorum Ammon; cum dicitur,
quod sacerdotes Christum crucifixerint. In præ-
senti ergo materia non statim colliget physicam
causalitatem Sacramentorum, sed quod illa gra-
tiam conferant, quod sine vasa quibus Christi me-
ritum nobis applicatur, quocumque tandem mo-
do id fiat: determinatum autem causandi modum
colliget, prout rationes iuxta subiectam materiam
probabilius suadebunt.

Obicitur 2. quod Concilia Florent. & Tri-
dent. tradant Sacramenta continere gratiam &
conferre; & Trident. sess. 7. in procemio tradat,
quod gratia incipiat per Sacramenta: sess. 13. cap.
1. tradat Corpus Christi existere sub specie panis
&c. ex vi verborum: idem Trident. sess. 6. cap. 7.
tradat baptismum esse causam instrumentalem in-
structionis.

Resp. hæc & similia optimè posse verificari, si
Sacramenta ad gratiæ collationem moraliter con-
currant: cum enim Deus certa & infallibili lege il-
lis adit, & ita assistat ut quicumque Sacramenta
rite susceperint, infallibiliter gratiam consequan-
tur, Sacramenta dici possunt eandem continere,
conferre gratia dici potest per illa incipere, scilicet
tanquam per moralia instrumenta, quæ virtutem
causæ principalis nobis listant, & applicant: de quo

genere instrumenti potest intelligi quod cap. 7.
cit. sess. 6. dicitur de baptismo. Patet quia Con-
cilium eo loco non solum agit de causis physicis
nostræ iustificationis, sed etiam de moralibus, cum
tradat causam meritoriam iustificationis esse Chri-
stum Dominum, qui sua passione nobis iustitiam
est promeritus: constat autem causam meritoriam
inter morales recensendam. Eodem modo potest
explicari quod ex sess. 13. cap. 3. adfertur.

Quæ solutio ex eo potest confirmari, quod Con-
cilia voluerint rem fidei definire, scilicet acceden-
tes ad Sacramenta cum legitima dispositione gra-
tiam recipere: non verò tradere specialem modum
quo Sacramenta concurrunt, qui nec ad fidem per-
tinet, nec ad rem explicandam contra hæreticos
controversam est necessarius, præsertim cum Con-
cilia prudenter à similibus questionibus soleant
abstinere.

Obicitur 3. varij Patres, qui Sacramentis
tribuunt virtutem generandi &c. August. epist. 23. ex PP.
ad Bonifacium virtutem regenerationis tribuit
baptismo; immò ibidem censet sicut Spiritum
sanctum: sic & aquam nostræ regenerationis esse
causam. Eandem virtutem agnoscit tract. 80. in
Ioan. aliquoties citato. Chrysostomus homil. 25.
in Ioan. dicit, *Aqua baptismi animas rationales pro-*
ducit; censetque posse purgare peccata credentium,
ed quod contactu dominici corporis fuerit san-
ctificata. quod idem sentit Beda in caput 3. Luca.
Idem Chrysost. hom. 83. in Matth. dicit, *Idem &*
in baptismo per rem, nempe sensibilem aquam, donum
conferitur. Cyrill. Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap.
42. eandem virtutem agnoscit: similiter Hieroso-
lymitanus catechesi 3.

Resp. 1. si propter has & similes Patrum sen-
tentias causalitas physica adstruatur, propter alias
denegandam: cum Aug. epist. 23. cit. dicat aquam
exhibere forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiri-
tum sanctum operantem intrinsecus beneficium
gratiæ: soluere vinculum culpæ: vbi manifestè vi-
detur hanc intrinsecam virtutem negare. 2. Hieron.
in caput 4. Isaia in illa verba, *cum abluerit Dominus*
&c. doceat ministrum Sacramenti præbere exte-
rius Sacramentum, Deum autè præbere Spiritum
sanctum. Sunt consimiles aliorum Patrum senten-
tiæ, ex quibus sola moralis causalitas videtur posse
non incongruè adstrui. unde

Resp. 2. si authores alterius sententiæ possint
Patres iam citatos explicare, quod nolint virtu-
tem instrumentalem Sacramentis adimere, sed so-
lum principalem, quam solum deferunt: ita Patres
pro eorum sententia citatos explicari posse, quod
solum velint nostra Sacramenta non esse egena &
inania signa, sed quod habeant virtutem gratiam
conferendi &c. non quod per aliquid physicè ipsis
inexistens gratiam causent physicè, sed quod
Deus illis assistat ad gratiam producendam in ani-
ma recipientium Sacramenta, nam virtus diuina
hoc modo assistens potest dici virtus Sacramento-
rum, & illis inesse, & ratione illius Sacramenta
dici possunt gratiam continere. Non requiritur
etiam vti omnes comparationes Patrum per om-
nia rigide applicentur, ut si Sacramenta compa-
rentur causis physicis, eorum causalitas censea-
tur physica; cum ad hoc non instituantur compa-
rationes, sed solum ut ostendatur nos per Sacra-
menta iustificari.

Obicitur 4. quod physicus concursus magis
declaret diuinam potentiam, igitur Sacramentis
est tribuendus. Resp. quidquid sit de antecedente, resp.

T 3

negando

Obiectio 3.

ex PP.

71.

August.

Chrysost.

Beda.

Cyrid.

Resp. 1.

Aug.

Hieron.

Resp. 2.

72.

Explicatio

Patrum.

Obiectio 4.

resp.

negando consequentiam: nam quicquid sit de ea quaestione, an repugnet creaturam assumi ad gratiae productionem; in qua varij valde probabiliter tuerentur partem negativam: ex dictis iatis constat non posse Sacramenta physice concurrere, eo modo gratiam conferendo quo de facto conferunt. 2. in aliquo casu ponuntur solum moraliter concurrere; ergo alius concursus non est necessario adferendus, etiam si per eum divina potentia magis declararetur.

73.
Obiectio 5.

Obiicitur 5. si Sacramenta non concurrant physice ad productionem gratiae, non videbuntur aliter concurrere, quam signa magica ad nocumtum per demonem inferendum.

Resp.

Resp. quamvis varia discrimina inter Sacramenta & haec signa offerri possint, per ea tamen non sufficienter solui argumentum. unde dico assumptum aliquo modo concedi posse, si sanè intelligatur; quod scilicet, sicut signa haec ex pacto cum demone inito censentur demonem applicare ad nocendum, ita Sacramenta ex divina institutione censeantur divinam virtutem applicare ad gratiae productionem, & ad illam conferendam suscipienti Sacramentum; neque id quidquam absurdum dicit, vide August. lib. 83. questionum quaest. 79.

D. Thom.
mens est
dubia.

Obiicitur 6. D. Thom. qui art. 1. & 4. huius quaestiones videtur sentire quod Sacramenta physice causent gratiam. Verum varij probabiliter existimant solam causalitatem moralem Sacramentis tribuere.

ARTICVLVS V.

*Utrum Sacramenta nouae legis habeant
virtutem ex passione Christi?*

Resp. affir.

CONCLUSIO est affirmatiua. quae satis innuitur in Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. & fusiùs ostendi solet quaest. 19. huius partis, ubi agitur de meritis Christi.

ARTICVLVS VI.

*Utrum Sacramenta legis veteris
gratiam causarent?*

Resp. neg.

CONCLUSIO est negatiua. in qua discriminè constituitur inter Sacramenta nouae legis & Sacramenta legis antiquae.

D V B I V M I.

*Utrum Sacramenta legis Moisaicae Gra-
tiam ex se contulerint?*

74.

Opinio
Hugonis.

H VGO de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 8. cap. 12. ait: Sacramentorum alia sunt sub lege, alia sub natura, alia sub gratia; sed eundem effectum sanitatis habentia. & ante, ex quo homo à statu primae incorruptionis lapsus in corpore per mortalitatem & in anima per iniquitatem aegrotare cepit, Deus reparando in sacramentis suis medicinam preparauit. unde videtur sentire Sacramenta legis Moisaicae gratiam ex opere operato contulisse, seu ex se & propria virtute; quod etiam de quibusdam tenet Durand. distinct. 1. quaest. 5. sub finem. Estius eadem distinct. §. 28.

Sed certum est Sacramenta legis Moisaicae non contulisse propria virtute, & ex opere operato gratiam sanctificantem. Pater ex Concil. Flor. decreto de Sacramentis tradente discrimen inter Sacramenta legis antiquae, & nouae, quod illa gratiam non causarent, sed eam solum per passionem Christi dandam figurarent; nostra verò & contineant gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferant; igitur Sacramenta antiqua gratiam ex opere operato non conferebant, quia alioquin nullo modo posset subsistere differentia à Flor. posita. Confirm. Concil. docet Sacramenta vetera solum figurasse gratiam per Christi passionem dandam, ubi adiciens, solum, omnem aliam virtutem respectu gratiae excludit.

Cui doctrinae non satisfit dicendo Concil. velle hoc Sacramentis nostris per se conuenire, Sacramentis autem veteribus per accedens; quia scilicet primò & per se fuerunt instituta ad significationem futurorum, non autem ad aliquid efficiendum nisi circa carnem: nostra verò primò & per se sunt ordinata ad gratiam conferendam. Id, inquam, non satisficit, quia Concil. dicit antiqua Sacramenta solum figurasse gratiam dandam per Christi passionem; quod falsum est, si eam ex se & opere operato contulerint, quamvis ad id non fuerint primario instituta. 2. scopus Florentini non fuit solum declarare differentiam inter nostra & antiqua Sacramenta penes primariam & secundariam institutionem, cum id parui momenti esset ad ostendendam efficaciam nostrorum Sacramentorum; sed differentiam inter effectus Sacramentorum, qui in re inueniuntur; neque Concil. illi explanationi vllam etiam leuissimam praebet occasionem.

Probatur 1. conclusio ex Scriptura. Ad Rom. 4. dicitur: *lex iram operatur.* quod nullo modo dici posset, si haberet caeremonias gratiam ex opere operato conferentes. Ad Galat. 4. caeremoniae legis Iudaicae vocantur *infirma & egena elementa*; quod nullo modo dici debuisset vel potuisset, si aliqua vis respectu gratiae illis conuenisset. cap. 3. lex dicitur fuisse paedagogus in Christo, itaque lex Iudaica eiusque caeremoniae ad solum paedagogiam data sunt; quod dici non posset, si potuissent gratiam conferre. Ad Hebr. 7. Apostol. censet legem reprobam propter infirmitatem, & quod nihil ad perfectum adduceret; non fuisset autem infirma, si habuisset instrumenta continentia & conferentia gratiam, etiam si non fuissent primario ad id instituta. Idem Apostol. cap. 9. dicit sanguinem hircorum & taurorum & cinerem vitule aspersum coquinatos sanctificasse ad emundationem carnis; ubi nullam videtur vim agnoscere circa spirituales & interiores animae purgationem. Conf. si antiqua sacrificia eam vim habuissent, culpa vacassent (id est defectu, infirmitate) & proinde locus secundi sacerdotij non inquireretur, ut Apostol. cap. 8.

Haec & similia loca non aptè explicantur, quòd contra Iudaeos adducta sint, qui ignorantes Christum solum iustificatorem, amplectebantur Sacramenta &c. existimantes per se propitiatoria, ita ut Christi sanguine opus non esset. Non, inquam, potest hoc modo vis argumenti eludi, quia satis constat Apostolum ipsis caeremoniis virtutem denegare circa interiorum animae renouationem. Confirm. si haec solum dicantur propter ignorantiam Iudaeorum, non opus est dicere legem reprobam propter infirmitatem; sed tantum Iudaeos à sua ignorantia reuocare &c. Confir. de nostris Sacra-

mentis

mentis non potest apte dici quod sint egea elementa, infirma &c. eo quod aliquis ignoret unde illa suam virtutē habeant. Adde quod quando lex dicitur data ad paedagogiam, nullo modo possit explicari sermonem ita infirmi propter Iudaeorum ignorantiam, sed debeat intelligi dictum de lege secundum se spectata.

77. Probatur 2. ex August. in Psalm. 73. *Sacramenta veteris Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promissum Saluatorum.* Tract. 41. in Ioan. (ubi agitur de sacrificijs legis Moisaicae) in sacrificijs non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum; igitur iuxta Aug. Sacramenta & sacrificia legis Moisaicae ex se nullam habebant virtutem ad operandam animae salutem, vel peccatorum remissionem.

Quando verò idem Aug. libr. 19. contra Faustum cap. 11. agens generaliter de Sacramentis religionis dicit, quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum & cap. 13. docet in noua lege instituta Sacramenta virtute maiora; non ideo dicit quod Sacramentis veteribus vlla virtus ex se competere, immò posteriori loco non obscurè contrarium insinuat, sed ita loquitur, quod per Sacramenta religionis pietas perficiatur, quatenus extat Dei praeceptum de Sacramentorum susceptione, cuius praecepti adimpletio plurimum valet ad salutem, etiam si ipsum Sacramentum non conferat gratiam ex opere operato.

Dices lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 6. loquens de adulterijs, ait: *hec crimina in Dei lege nullis sacrificijs mandabantur*; insinuans alia, quorum meminit Leviticus, mundari.

76. Resp. negando id insinuati; si enim per sacrificia coram Deo haec mundarentur, vt intendit argumentum, mundari etiam possent adulterias; cum gratia collata ratione sacrificiorum, tam posset adulteriū delere apud Deum quàm quodvis aliud crimen. Aug. ergo solum vult adulterium per sacrificia legis Moisaicae non fuisse mundatum mundicie legali, sic vt adultera non remaneret legaliter immunda.

Dices 1. enarratione in Psalm. 77. in principio ait, *cum essent omnia communia Sacramenta*, (scilicet in antiquo Testamento) non communis erat omnibus gratia, quia Sacramentorum virtus est: sicut & nunc iam reuelata fide, quae tunc velabatur, omnibus in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti baptizatis commune est lavacrum regenerationis, sed ipsa gratia cuius ipsa sunt Sacramenta, quae membra corporis Christi cum suo capite regnerat sunt, non communis est omnibus.

Resp. non posse ex praedicto loco colligi Aug. antiquis Sacramentis tribuere virtutem ex opere operato gratiam conferendi; cum praedictam sententiam solum adferat, vt ostendat iuxta Apost. non omnes qui manducantur manna Deo placuisse, & nō omnes qui receperunt Sacramenta gratiam receperunt, quam scilicet ex opere operantis recipere poterant, si in gratia cū deuotione Sacramenta susceperunt. Nec obstat quod antiqua Sacramenta cū potius conferat, quia non eō tendit comparatio vt ostendatur antiqua Sacramenta vim ex se habuisse circa gratiam, sed vt ostendatur quod aliqui vsu Sacramentorum antiquorum gratiam receperint, alij non receperint, quemadmodum in noua lege non omnes recipiunt gratiam per baptismum.

Magis videtur vrgere quod de Moysē ait quæst. 84. in Leuit. *sancificabat visibilibus Sacramentis per sacrificium suum; Dominus autem inuisibilibus gratia per Spiritum Sanctum ubi est totus fructus visibilium Sacramentorum.* sed

Dico nec inde peti solidum argumentum; cum Dominus illam sanctificationem contulerit ratione deuotionis recipientium Sacramenta Moisaica, non verò ratione ipsorum Sacramentorum gratiam ex opere operato conferentium. In hunc etiam sensum explicari potest Sanctus Leo, tum alibi, tum serm. 2. de Pentecoste, cum ait, nulla vniquam instituta Sacramenta, nulla celebrata fuisse mysteria sine gratia Spiritus Sancti: solum enim vult docere etiam in antiquo testamento Spiritus Sancti gratiam non defuisse, quia debite suscipientibus Sacramenta, vel sacrificium offerentibus concessa est ex opere operantis; quā ratione explicari possunt quidam alij Patres.

79. Notandum ergo est quod supra diximus, nostra Sacramenta duobus modis spectari posse: primò vt sunt actus honesti & supernaturales, secundò vt sunt quædam caeremoniae ex Dei institutione habentes annexam gratiae promissionem. Quoad prius non differunt à Sacramentis legis Moisaicae: nam & illa Sacramenta quatenus erant actus honesti continentem insignem Dei cultum merebantur in iusto gratiae augmentum, & iusti antiqui testamenti haec Sacramenta suscipiendo ex fide & deuotione merebantur gratiam, & proinde nullo vniquam tempore Dei gratia hominibus defuit. Hoc modo lex potuit dici iustificare, licet non haberet efficacia gratiae instrumenta, sicut noua. Item dici potuit nulla instituta Sacramenta sine gratia. Si verò nostra Sacramenta spectentur 2. modo, illis est proprium gratiam continere, & ex opere operato conferre; vt Flor. & insinuat Trid. sess. 7. can. 2. de Sacramentis in genere: quae vis antiquis Sacramentis denegata fuit, vt patet ex eodem Concilio Flor. & ex Apost.

Idem dicendum de antiquis sacrificijs, quod scilicet non habuerint effectum spiritualem ex opere operato: quia tamen sacrificium est opus honestum, potuit iusto sacrificanti esse causa augmenti gratiae ex opere operantis, & in peccatore potuit esse meritum de congruo variarum gratiarum praueientium, quibus homo ad iustificationem promoueretur. Potuit etiam in iusto esse satisfactorium; fideles per illud potuerunt tum sibi tum alijs multa impetrare, & per illud pro alijs satisfacere. Hoc tantum concludit quod adfertur ex Apost. ad Hebr. 5. vbi dicitur: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum; vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* item quod adfertur de Iob. cap. 1. qui pro filiis offerebat sacrificium: obtulit enim vt illis impetraret gratias, quibus à peccatis preseruarentur, vel à peccatis resurgerent, vel vt impetraret remissionem poenae debitae condonatis peccatis. Idem solum concluditur ex sacrificio Davidis pro auertenda peste, 2. Reg. ult. quod scilicet illud sacrificium tanquam opus pium potuerit offerri, vt per illud impetraretur vt Deus manum vlticem retraheret. Id solum etiam vult scriptura 2. Mach. 3. significans sacrificium pro Heliodoro oblatum ei profuisse. Nec amplius colligi potest ex cap. 12. eiusdem libr. vbi Iudas iussit pro defunctis offerri sacrificium, quo à peccatis soluerentur. solum enim colligi potest quod oblatum fuerit à Iuda tanquam opus satisfactorium, valens etiam alijs de congruo ad poenae deletionem: non verò quod existimaretur ipsa sacrificia effectum aliquem ex opere operato habere.

Dices Leuit. 4. 5. & alibi iubentur multa sacrificia offerri in remissionem peccatorum.

Irē S. Leod. nis.

Quo sensu vetera Sacramenta non essent sine gratia.

Neque antiqua sacrificia habuerunt effectum spiritualem ex opere operato.

Contrariū non habetur ex script. Hebr. 5. Iob. 1.

2. Reg. ult.

2. Mach. 3. & 12.

Leuit. 4. &

Resp. non intelligi de remissione culpa apud Deum, vel etiam poenae aeternae, sed de remissione cuiusdam legalis immunditiae; nam Sacramenta vetera, similiter & sacrificia, ex se solum tollebant immunditiam legalem, vel poenam temporalem secundum legem debitam, atque adeo cum dicitur, *regabitque pro eo sacerdos & pro peccato eius, & dimittetur ei*; de hac remissione intelligitur. Confirm. quia constat non omnia peccata fuisse remissa per quodlibet sacrificium; certum autem est unum mortale non remitti sine alio, saltem de lege ordinaria; igitur hac remissio non potest intelligi de remissione culpa apud Deum. Similiter constat hac sacrificia non debuissent offerri pro quibusvis peccatis grauioribus, sed tantum pro quibusdam commissis per ignorantiam, & potissimum pro ijs quibus damnum proximo inferebatur. quā ratione potest intelligi quod dicitur, sacrificio arietis omne peccatum expiari. atqui si habuissent effectum apud Deum ex opere operato, non apparet ratio cur non potuissent offerri pro quolibet genere peccati, etiam commissi per superbiam.

D V B I V M II.

Utrum circumcisio gratiam ex opere operato contulerit?

81.

Q V A M V I S hac quaestio ex superiori decisa videri posset, tamen non eadem est de circumcisioe & de Sacramentis legis Moisaicae certitudo; cum certum sit hac Sacramenta non contulisse gratiam ex opere operato de circumcisioe verò varia sint opiniones. D. Tho. hoc art. ad 3. & infra quaest. 70. art. 4. in corp. tres refert & improbat.

Tres sententiae improbabiles.

Prima asserit per circumcisioem auferri quidem peccatum, non tamen conferri gratiam. quae opinio omnino falsa est; nam constat de lege saltem ordinaria peccatum nulli remitti absque gratiae infusione, ut patet ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. Adde quod dum homini peccatum originale remittitur, is admittatur ad diuinam amicitiam & fiat amicus Dei: nullus autem redditur Deo gratus nisi recipiat gratiam per quam efficiatur diuinæ confors naturae.

Secunda asserit per circumcisioem fuisse collatam gratiam quoad effectum remittendi peccatum, non verò quoad positivos effectus gratiae: sed neque hac sententia potest subsistere, cum per gratiam tribuatur ius suo tempore gloriam consequendi, qui effectus est positius. Præterea nullo solido fundamento adfertur discrimen inter effectus positivos gratiae & priuatiuum, ut gratia nunc tribuat per modum causae formalis, illos non item.

Tertia asserit circumcisioem contulisse gratiam per quam aliquis redderetur dignus vitæ aeternae, non verò per quam posset reprimi concupiscentia impellens ad peccatum. quam sententiam ex eo refellit D. Thom. quod minima gratia possit cuilibet concupiscentiae resistere. quæ ratio est difficilis, cum constet gratiam habitualement quæ hominem reddit dignum vitæ aeternae, non ita firmare eum in bono, ut ad superandas tentationes non indigeat actualibus gratiae auxilijs.

82.

Affirmant Magister S. Tho. in 4. Bonau.

His sententijs pretermisiss, sunt duæ aliae. Prior censet per circumcisioem gratiam parulis ex opere operato collatam fuisse. ita Magister in 4. dist. 1. D. Tho. eadem dist. quaest. 2. art. 4.

Bonau. art. 3. quaest. 3. Scotus quaest. 6. §. de potent. status. ita. Dur. quaest. 5. & 7. Gabriel quaest. 4. art. 1. no. Durand. ratione 3. conclusione 1. & 2. & plures alij recent. Guald. tiores.

Posterior negat per circumcisioem gratiam ex opere operato fuisse collatam. ita D. Thom. hic ad 3. cum ait, & ideo melius dicendum videtur quod circumcisio, sicut & alia Sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei infusantis. & infra quaest. 70. art. 4. in corp. ubi dicit, in circumcisioe autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisiois, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisioem, proficiebat se suscipere talem fidem, vel ad hunc profectum, vel alius proprium. quibus locis aperte retractat sententiam quam in 4. secutus fuerat, & expresse negat circumcisioem virtutem conferendi gratiam; cum priori loco non agnoscat in ea maiorem virtutem quam in Sacramentis legis veteris, quæ iuxta eundem gratiam propria virtute non conferebant. Eandem tenet Capr. in 4. dist. 3. quaest. 3. ad 4. Scotus dist. 2. quaest. 1. art. 4. Canus relectione de Sacramentis in genere parte 1. Alanus lib. de Sacramentis in genere cap. 13. Vasquez i. 2. tonio 2. disp. 184. cap. 3. Estius in epist. ad Rom. cap. 4. versu 11. ubi non obsecro retractat quod docuerat in Magistrum dist. 1. §. 30. Salsb. in caput citatum ad Rom. Pererius ibidem disp. 5. & plures alij.

83.

Hæc posterior sententia videtur verior, quæ ex- Negatiua cepto August. & paucis alijs, est communior Patrum, quos fusc citant Bellar. supra cap. 13. & Pererius. ex multis paucorum sententias colligam. Iustinus in dialogo cum Triphone ante medium, quin etiam ex eo quod non possint femina corporis circumcisioem percipere intelligitur signi causam datam esse hanc circumcisioem, non pro opere iustitiæ. Iteneus lib. 4. aduersus hereses cap. 30. quoniam autem & circumcisioem non quasi consummationem iustitiæ, sed in signum eam dedit Deus ut cognoscibile prescueret genus Abraham, ex ipsa Scriptura discimus. Tertullianus aduersus Iudæos cap. 3. acceperat enim circumcisioem, (scilicet Abraham) sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prerogatiuam. Epiphanius hæresi 8. alie circumcisiois fuit carnalis, quæ insinuat temporis usque ad magnam circumcisioem, hoc est baptismum, qui circumcidit nos à peccatis. & apertius hæresi 30. neque erat per se prima circumcisio, sed signi tantum gratia data est, & ad commotionem ipsorum & c. figura gratia magna circumcisiois, etenim si sanctificationis gratia erat & hereditatis regni caelorum, ergo priuata est Sara regno & c. si verò non sunt priuata hæc regno caelorum, quamquam non fuerint participes circumcisiois, non igitur illa conducebat homini ad comparandam salutem & vitam æternam. Ambros. in caput 4. epist. ad Rom. non habet circumcisio aliquid dignitatis, sed signum est tantum. epist. 72. signum circumcisio corporalis, veritas circumcisio spiritualis: illa membrum amputat, ista peccatum. Chrys. hom. 39. in Genesim in illa verba, circumcidetur in vobis omne masculinum. Videntur distatis quid circumcisio nihil ad animæ virtutem conducebat, hinc manifestum esse potest; infusus est circumcidit infans octo dierum duos ob causas, tum ut in illa ætate immatura circumcisiois dolorem ferre posset, tum etiam ut in ipsa discerentis circumcisioem nihil animæ conducere, sed signum tantum gratiæ esse datam. vide eundem infra. Damasc. lib. 4. de fide cap. 26. quemadmodum circumcisio non vitale membrum amputabat corporis, sed superfluum & inutile, sic per sanctum baptismum à peccato circumcidimur. Ex quorum & aliorum Patrum sententiis mani-

Negatiua adiectum PP.

Iustin.

Tertull.

Epiph.

Ambros.

Chrys.

Damasc.

mani-

Populus
Israel non
fuit circū-
cisus in de-
serto per
annos 40.

manifeste patet illos sensisse, circumcisionem nul-
lam ex se habuisse virtutem ad delenda peccata, &
iustitiam conferendam. Eadem sententia est con-
formior Scripturae.

Probat 1. ex epist. ad Rom. postquam enim
Apost. docuisset neque Ethnicos per opera natu-
rae, neque Iudaeos per operalegis (scilicet sine gra-
tia & fide facta) iustificatos, & gloria apud Deum
promeritos: cap. 3. proponit, quid ergo Iudaei est, aut
quae utilitas circumcisionis? respondetque, multum per
viam medium; primum quidem quia credita sunt illis
eloquia Dei. quibus verbis non obscure insinuat
circumcisionem non potuisse ex se, & ex opere
operato peccatum remittere, & gratiam conferre.
si enim hunc effectum tam praeclarum habuisset,
non debuisset Apost. tanquam primariam & prin-
cipalem prerogativam circumcisionis ponere,
quod ratione illius Deus sua eloquia crediderit,
seu commiserit populo Iudaico. Confit. quamvis
Apostol. alios circumcisionis effectus alibi recen-
suerit, hic tamen censet primariam eius utilitatem
esse quod Deus populo Iudaico a se electo sua my-
steria revelauerit; id autem nullo modo dici posset
primarium, si circumcisio ex se iustificasset: quem-
admodum de nostro baptismo dici nequit quod
praecipua eius utilitas in eo consistat, quod per il-
lum homo aggregetur populo, cui creduntur divi-
na eloquia.

Secundo. cap. 4. solum agnoscit circumcisio-
nem datam Abraham in signaculum iustitiae fidei,
quae fuit in praepitio. ubi rursus indicat ipsam cir-
cumcisionem non iustificasse, sed ex se fuisse in si-
gnaculum & signaculum.

3. ex Gen. 17. ubi refertur institutio circumci-
sionis, satis declaratur quod fuerit in nudum signu
fidei initi inter Deum & Abraham, eiusque po-
steritatem; neque Scriptura vquam tribuit cir-
cumcisioni virtutem iustificandi. Ex quibus tan-
quam ab argumento negatio colligi potest cir-
cumcisionem nihil ad iustitiam ex divina institu-
tione valuisse; praesertim cum Apost. non semel
habeat occasionem tantam circumcisionis excel-
lentiam declarandi.

4. argumento positivo ostenditur. Apost. ad
Gal. 4. videtur eam vim circumcisioni negare.
cum enim aliqui vellent persuadere Galatis ad fi-
dem convertis, Iudaicos ritus simul cum fide Chri-
stiana servandos, acri oratione & reprehensione
volens eos a tali persuasione reuocare, & inter cae-
tera a circumcissione, (vt patet ex cap. 5.) dicit,
nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a
Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena
elementa, quibus de novo servire vultis? igitur, teste Apo-
stolo, circumcisio est egenum elementum, & pro-
inde ex se non contulit gratiam.

Dici posset hanc Apostoli sententiam referri ad
tempus, quo Evangelium fuit promulgatum: sed
contra est. i. quod capitibus 3. & 4. ostendat infir-
mitatem caeremoniarum legis, & proinde loquatur
etiam per respectum ad tempus quo obligabant.
2. post Evangelij promulgationem, & postquam
lex Evangelica coepit obligare, circumcisio non
tantum fuit infirmum elementum, sed etiam mor-
tuarium, id est sine peccato usurpari non potuit.

Ad eandem rem confirmandam adferri etiam
possunt non improbabilis rationes. 1. est quam pon-
derant Patres citati, quod circumcisio pro solis
ritus sit instituta; cum tamen si iustitiam ex se con-
tulisset, videretur fuisse etiam instituta pro foemi-
nis, quae non viderentur priuanda tam praecario re-

medio contra peccatum originale. 2. quod solum
fuit instituta pro posteris Abraham, & ijs qui vole-
bant aggregari ad populum Iudaicum. 3. populus
Israeliticus per annos 40. quibus in deserto est pe-
reginatus non est circumcisus; igitur signum est
circumcisionem non fuisse institutam in reme-
dium peccati originalis, cum ille populus non de-
buisset tanto tempore priuari remedio tam saluta-
ri & necessario.

Omitto probationem ex Flor. adferri solitam,
quia commodè responderi posset Concilium per
Sacramenta legis antiquae intellexisse Sacramenta
legis Moisaicae, quae communiter per legem anti-
quam intelligitur, & prudenter ita locutum fuisse,
vt posset notari non agere de circumcissione, de qua
sciebat pugnantem esse sententias.

Obijciunt 1. Genes 17. dicitur, masculus cuius
praepitum caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa
de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. quibus
verbis videtur indicari infantem incircumcisum
perituum in aeternum, quia caruit circumcissione
per quam peccatum originale deletur. Cap. 4.
Exodi dicitur, cumque esset in itinere in duos fons, oc-
currit ei Dominus & volebat occidere eum; tulit illico
Sephora, acutissimam petram & circumcidit praepitum
filij sui, & tetigit pedes eius, & ait, sponsus sanguinum
tu mihi es.

Ad priorem locum resp. sensum illius esse, mas-
culum adultum qui neglexerit circumcisionem, at-
que adeo se non circumcidendo neglexerit pactum
de circumcissione, occidendum seu morte tempora-
li puniendum propter huiusmodi transgressio-
nem.

Notandum ergo in eo versu sermonem dirigi ad
adultum, qui est capax praepitum & poena, si praepi-
tum transgrediat: quod patet, quia cum in supe-
rioribus dixisset, infans octo dierum circumcidetur in
vobis, nullam poenam apposuit: hic vero poe-
nam adijcit. Ex quo videtur colligi agi de aetate
distincta, & Deum nolle in sententia citata, eum
qui neglexerit circumcisionem puniendum morte
aeterna propter transgressionem praepitum dati pri-
mis parentibus in paradiso, sed solum velle adul-
tum negligentem circumcisionem puniendum mor-
te temporali. ita intelligitur quod dicitur, delebitur
anima illa de populo suo; id est, exterminabitur, pu-
nietur morte; quemadmodum intelligitur Exo. 12.
septem diebus non inuenietur fermentum in domibus ve-
stris, qui comederit fermentum, peribit anima eius de ca-
tu Israel.

Ad 2. locum dico intentum ex eo etiam non col-
ligi. neque enim colligi potest filium Moysis pri-
uandum fuisse beatitudine, propter neglectam cir-
cumcisionem, sed ipsum Moysen occidendum eo
quod filium suum non circumcidisset. Cum enim
metueret recens nato grave damnum in itinere, si
eum circumcideret, abstinuit; & propterea Ange-
lus personam Dei gerens mortem illi est minatus,
a qua morte vt eum vxor liberaret, filium circum-
cidit. Hunc esse sensum loci citati facile patet tex-
tum consideranti.

Obijciunt 2. Aug. lib. 16. de ciuitate Dei c. 27. &
li. 2. de nuptijs & concupiscentia cap. 11. & alibi do-
cens circumcisionem gratiam ex se contulisse, quod
probat ex loco Gen. citato. addit enim octauo die
Masculus cuius praepitum caro octauo die circumcisa non
fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum
meum irritum fecit. vnde ratiocinatur ostendens in
homine traduci peccatum originale quod per cir-
cumcisionem deletur, hoc modo: puer non fecit

Obiectio 1.
Gen. 17.

Exod. 4.

Resp.

87.

Locus iste
Gen. 17. in-
telligitur
de adultis.

Sensus loci
Exod. 4.

88.

Obiectio 2.
Aug. 16.

in se

in se pactum Dei irritum; ergo in alios igitur peccatum in illum traditur. Item si deleatur anima illa, id est damnetur, nisi circumcidatur, puer ergo per circumcisionem liberatur à damnatione; ergo circumcisio habet virtutem delendi peccatum. Augustinum sequitur Gregorius lib. 4. Moral. cap. 3. ubi dicit: quod verò apud nos valet aqua baptismatis, hoc egi apud veteres vel pro parulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant mysterium circumcisionis. Beda de circumcisione Domini inter homilias hyemales de sanctis tomo 7. dicens: scire etenim debet vestra fraternitas, quia idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere reuelat & gratia tempore consumit. & infra: rursumque ergo purificatio & circumcisiōis videlicet in lege, & in Evangelio baptismatis tollenda prænauicationis primæ gratia posita est. Similia habet Bernardus epist. 77.

Gregor.

Beda.

Resp.
pp. citati vi-
dentur esse
contrarij.
89.

Respondeo propter Augustini autoritatem plures Doctores cum Magistro in priorem sententiam descendisse; Patres etiam citatos eius autoritate permotos illi sententiæ subscripsisse: contra quos tamen faciunt plurimi alij Patres quos citauimus; facit & Scriptura. Vnde dico salua reuerentia quæ Dño Augustino debetur maxima, eius sententiam videri minus probabilem, & niti debili fundamento. nam particula, octauo die, qua nititur eius discursus, nec habetur in hebræo, nec in vulgata editione; eā autem sublatā satis apparet Scripturam non virgere, vt ex dictis patet.

Obiectio 3.

Cap. Maior.

Resp.
Innocentius
nihil deli-
nit: hac in
parte.

Obijciunt 3. Innocentius 3. cap. Maiores, de baptismo & eius effectu, videtur id expressè tradere. Aliqui respondent Innocentium non tradere modum quo fuerit collata gratia in circumcisiōe, sed solum asserere fuisse reipsa collatam. Verius tamen videtur Pontificem sentire gratiam per circumcisiōem fuisse collatam, iuxta Augustini & Bedæ sententiam. Dico tamen eum ex propria sententia illud addidisse, præter id quod petebatur. solum enim ab eo quærebatur num baptismus parulis vtiliter conferretur? ad quod respondet affirmatiuè: extra rem autem ex propria sententia comparat baptismum circumcisiōis, dicens baptismum ei fuisse collatum. Non est autem necesse omnia quæ à Pontificibus in suis decretis præter rem adferuntur, esse vera, vel etiam probabilia, cum Pontifices tanquam priuati errare possint.

Dices Pontifex videtur pro fundamento suæ responsionis adferre, quod circumcisio olim gratiam contulerit.

Resp. resolutionem non niti illa sententia tanquam fundamento primario, sed Pontificem niti præcipuè illa sententia Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; ex quo loco clarè patet baptismum posse vtiliter parulis conferri.

90.
Obiectio 4.
S. Thom.

Obijciunt 4. quod D. Thom. quaest. 70. art. 3. ad 1. inter ceteras causas propter quas circumcisio fieret in membro generationis, hanc adferat: quod circumcisio esset remedium peccati originalis, quod per actum generationis traditur; ergo censet circumcisiōem ex propria virtute & ex se gratiam contulisse, & deleuisse peccatum.

Resp.

Resp. neg. consequentiam; quia eadem quaest. artic. 4. à nobis citat. apertè docet contrarium. In illa ergo responsione tantum vult peccatum

originale in circumcisiōe fuisse remissum; non autem vult tradere modum quo fuerit remissum, quod proposito argumento abundè satisfaciunt immò si quis attentè perpendat argumentum iuncta solutione, aduertet D. Thom. velle peccatum in circumcisiōe non fuisse deletum ex propria virtute circumcisiōis, sed quia in illa inenebatur fidei professio: quod apertius docet art. 4. cit. dicens in circumcisiōe gratiam fuisse collatam, non ex virtute circumcisiōis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisiōem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adulus pro se, vel alio pro parulis.

Petes an ergo gratia in circumcisiōe fuerit collata?

Si Patres pro nostra sententia citatos consideremus nulla videbitur parulis gratia collata in circumcisiōe. non est tamen improbabile quod docet D. Thom. & cum eo plures Scholastici, scilicet in circumcisiōe parulis collatam gratiam, & peccatum originale fuisse remissum, non quidem ratione circumcisiōis, quasi illa ex sua institutione & ex opere operato id præstiterit; (quo sensu possunt intelligi Patres à nobis citati negantes circumcisiōis virtutem delendi peccatum) sed propter fidem ex qua parentes vel ministri parulos circumcidebant, & quam censebantur parulis applicare, per quam paruli censebantur credere in Christum, eiusque passionem profiteri.

Dices inde sequitur adultos meritis parulis gratiam, quam tamen nulla pura creatura potest alteri promereri.

Resp. neg. consequentiam. quia fides proprie non habebat se per modum meriti respectu gratiæ conferendæ in circumcisiōe, sed per modum conditionis applicantis Christi passionem, idque ex privilegio parulis concessio; de quo licet in Scriptura nihil extet, communius tamen à Doctoribus asseritur ex varijs Patribus, qui in hoc fundantur, quod Deus, qui nullum vult perire, videatur in omni lege parulis de aliquo remedio prouidisse: in antiqua de fide, ita vt paruli per fidem parentum vel ministri, per quam Deo offerebantur & profitebantur fidem in Christum venturum, possent iustificari. vbi

Aduerte fidem acquisitam non suffecisse, cum Patres agentes de fide semper intelligantur de diuina; non videtur tamen fuisse necessarium vt fides parentum esset formata charitate, quia non habebat se per modum meriti, neque considerabatur vtrum offerens esset gratus Deo, sed solum requirebatur vt parulus conferetur profiteri fidem in Christum, quod facere poterat, quamuis non esset in statu gratiæ. videri potest Canus relectione citata parte quinta §. quantum discrimen.

Petes 1. quomodo ergo hoc signum protestatiuum differret à nostro baptismo?

Resp. magnum esse discrimen, quia baptismus semper habet effectum, etiam si non sit fides in ministro, immò etiam si conciperemus nullum habere fidem, modò adsit intentio faciendi quod Christus instituit: in circumcisiōe verò gratia non conferebatur nisi parulus ex fide parentum, vel ministri, circumcideretur. si quis enim fuisset circumciscus sine vlla fide ministri & c. quæ suo modo illi applicaretur, & per quam conferetur pro-

Explicatur
mens 5.
Thom.

Dubium.

91.

Probabile
est in cir-
cumcisiōe
collatam gra-
tiam parulis
fuisse, sed non
ex opere
operato.

91.

Fides par-
tium non
habebat se
per modum
meriti.

Nec opus
erat vt cha-
ritate for-
maretur.

Canus.

Quaest. 1.

92.

Discrimen
circumcisi-
ōis &
Baptismi.

literi

Christum venturum, non fuisset iustificatus.

2. noster baptismus confert suum effectum etiam adulto, si cum predicta intentione ministratur: circumcisio vero non videtur iustificasse adultum sine acta contritionis, vel dilectionis Dei super omnia. cum enim adulti potuerint iustificari per proprium actum, non est quod asseramus illis concessum privilegium, quale asseritur concessum parvulis propter eorum necessitatem: & ita communiter censent Doctores. nam etiam hi qui censent circumcisionem contulisse gratiam, id de solis parvulis asserunt. vide Suarez lib. 9. de legibus cap. ult.

Petes 2. quomodo ex dictis non sequatur circumcisionem fuisse causam remissionis peccati originalis, cum videatur tam fuisse illius causa moralis quam noster baptismus?

Resp. non fuisse causam etiam moralem, cum non fuerit ad hoc instituta, & proinde non conferret gratiam continere, sicut noster baptismus: ut ex dictis patet. Neque etiam fides parentum, vel ministrorum offerentium infantem dici poterat causa moralis gratiae, sicut noster baptismus. cum fides non fuerit instituta ad delendum peccatum, sed solum fautor fuerit concessus parvulis propter eorum necessitatem, ut scilicet peccatum originale in illis deleatur, si saltem per fidem parentum &c. conferretur propter Christum venturum, ita ut fides solum se habuerit ut conditio sine qua non, quem loquendi modum solum agnoscit Suarez lib. 9. de legibus cap. 7. num. 7. quamvis in superioribus rem paulo aliter explicet, conformiter ijs quae 3. parte tradiderat.

DYBIVM III.

Utrum ante institutam circumcisionem, peccatum originale aliquo modo tolli posset in parvulis, vel etiam ea instituta aliud esset remedium pro illis quibus non applicabatur circumcisio?

EX Patribus pro nostra opinione superiori dubio citatis, videtur licet nullum subsistere remedium ante legem Evangelicam, quo peccatum originale in parvulis tolleretur, quatenus eam vim ipsi circumcisioni denegant, nec meminerunt ullius alterius remedii ante circumcisionem institutam, neque illa instituta agnoscunt ullum aliud pro parvulis gentium, neque tale remedium insinuat in Scriptura. Hinc aliqui auctores censent ante legem Evangelicam non fuisse prout parvulis de remedio vbo contra peccatum originale, atque adeo omnes qui mortui sunt antequam per proprium actum possent iustificari, damnatos fuisse.

Quorum tamen sententia merito censetur rigida & aliena a misericordia Dei, qui omnes vult salvos facere. quare Doctores communiter tenent ante institutam circumcisionem in lege naturae prout fuisse de remedio contra peccatum originale. similiter instituta circumcisio, peccatum originale in feminis parvulis tolli potuisse, necnon in alijs pro quibus lex circumcisionis non erat imposita: quae sententia est verior; iuxta quam

Resp. non solum parvulos masculos Iudeorum, sed etiam Gentium, item & feminas, habuisse aliquod remedium quo peccatum originale in eis tolleretur.

Probatur ex August. libr. 2. de nuptijs cap. 11. & libr. 5. contra Iulianum cap. 11. post medium: nec ideo tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuisse suis parvulis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 3. Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis solas fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abraham stirpe prodierant mysticum circumcisionis. Beda homilia citata dubio praecedenti. Et ne cui saeculi labentis arati supermi respectus munera decissent, illi quoque qui a mundi exordio usque ad tempora datae circumcisionis, vel post datam circumcisionem de alijs nationibus Deo placuerunt, vel hostiarum oblationibus, vel certe solas fides virtute, suas suorumque animas creatori commendantes a primi reatus vinculis absolvere curabant. lib. in Lucam cap. 8. circa illa verba, Postquam consummati sunt dies octo: nam qui vel ante tempora circumcisionis, vel etiam post datam circumcisionem de exteris gentibus existeret fideles, ut exemplar patientiae Iob, & amici liberique illius, sine victimis hostiarum se suosque ab originali peccato, seu certe sola fide saluabant. Bernardus. epist. 77. In nationibus vero quotquot inveniuntur fideles sunt, adulos quidem fide & sacrificijs credimus expiatis parvulis etiam solum profuisse immo & sufficere parentum fidem.

Probari etiam potest ratione. Nam causa propter quam constanti Theologorum sententia parvuli masculi Iudeorum dicantur potuisse aliquo remedio liberari ab originali peccato, est necessitas propter quam illud privilegium videtur eis concessum: eadem vero necessitas in alijs invenitur: igitur idem privilegium merito pro ijs assignatur, cum Deus non sit tantum Deus masculorum, sed & feminarum, non tantum Iudeorum, sed & Gentium: quas non videtur neglexisse, cum velit omnes salvos fieri, non tantum in lege Evangelica, sed & in omni alia.

Porro satis constat illud remedium feminis vel etiam exteris masculis, siue ante siue post institutam circumcisionem, non fuisse determinatum; sed quodcumque signum protestationis fidei in Christum potuisse illis suffragari, siue esset sacrificium, siue alia oblatio externa, siue preces: cum varijs modis parentum fides potuerit illis applicari, & per illam potuerint censi profiteri fidei in Christum mediatorem.

Disseminis vel exteris, quia pro Iudeis circumcisio erat necessaria, si commodè adhiberi posset; quod insinuat Gregorius supra. ex quo enim illa fuit praecipua, videtur signum fidei protestationis fuisse a Deo restrictum ad circumcisionem, saltem ex praecipuo, ita ut praeteriri non posset, si commodè posset adhiberi. quod si adhiberi commodè non posset propter periculum mortis in parvulo, sufficiebat quodlibet aliud signum, sicut pro alijs vbi obiter

Aduerte peccato originali per tale signum deletum, circumcisionem forte supervenientem transacto mortis periculo nullum effectum spirituales habuisse in parvulo, neque gratiam in ea fuisse collatam; in quo & aliud discrimen inter illam & nostrum baptismum cerni potest, quod videlicet

Resolutio affirmans.

96.

Prob. ex PP.

Greg.

Beda.

Bernardus.

97.

Prob. ratione.

Sufficiebat quodcumque signum protestationis fidei in Christum.

Etiam pro Iudeorum parvulis, vbi circumcisio adhiberi non posset.

98.

cet

et baptismus gratiam sanctificantem conferat subiecto legitime disposito, quantumvis peccatum originale prius sit remissum: in circumcisione verò non conferretur paruulis gratia, si peccatum originale ante illam alia ratione erat deletum. quia noster baptismus gratiam confert ex opere operato, & per consequens confert omni apte disposito: circumcisio verò non conferebat, sed solum in ea delebatur peccatum originale quando non supponebatur deletum, & gratia dabatur in ordine ad illum effectum, itaque in circumcisione potius spectabatur necessitas paruulorum, quam vis ipsius circumcisionis, & proinde necessitate cessante spiritalis effectus in circumcisione non conferebatur, quantumvis paruulus ex fide parentum circumcideretur.

Opus fuit
fide Mediatoris.

Circa dicta Notandum 1. quòd vt sacrificia vel alia signa protestatiua prodesse paruulis, debuerint exhiberi ex fide in mediatorem &c. vnde si gentilis aliquis ad imitationem Iudeorum paruulum sine fide circumcidisset, tali paruulo non fuisset remissum peccatum originale, quia non potuisset dici applicata alterius fides per quam censetur proficere fidem in Christum. Hæc tamen fides non debuit in parentibus &c. necessariò esse formata: cum etiam per fidem informem, seu cui non esset charitas coniuncta, paruuli potuerint censeri proficere fidem in Christum.

29.

Adulti non
iustificabatur
absque
actu contritionis &c.

Notandum 2. quòd licet Greg. Beda, Bern. videantur indicare quòd adulti potuerint per sacrificia consequi remissionem culpæ originalis, quod etiam indicat Magister dist. 1. §. *quæritur etiam*, nihilominus non videantur eam consecuti virtute sacrificiorum, sine interiori actu dilectionis Dei super omnia, vel contritionis. Cum enim sit peculiaris reperi Evangelicæ habere Sacramenta conferentia gratiam ex opere operato, hæc vis est deneganda sacrificijs veteribus, etiam legis naturæ: neque etiam dicendum in illis gratiam fuisse adultis collatam ex fide, cum non virgeat necessitas, quæ inuenitur respectu paruulorum, quandoquidem adulti potuerint iustificari per actum proprium. Itaque non videntur iustificati per sacrificia, nisi quatenus ex dilectione Dei oblata: & dicta Patrum aliter sunt explicanda respectu paruulorum, aliter respectu adultorum, scilicet iuxta exigentiam eorum de quibus est sermo.

Resp. ad
alata in
contrarium.

Ex dictis solui possunt quæ initio dubij in contrarium sunt allata. Ad Patres dicimus eos non negare omnem remedium pro paruulis in lege naturæ, vel Mosaica, sed solum censere circumcisionem ex se & ex opere operato gratiam non contulisse, nec peccatum ex opere operato deleuisse.

Ad aliud dico, licet Scriptura iustis de multis id sileat, vt Aug. supra, Patres tamen ex infinita Dei misericordia hoc remedium colligere, & cum eis communiter Doctores.

100.

Dubium in
vid. os.
An opus
fuerit ex
terno sig-
no?
Affirmat
Durand.
Causus.

Peculiaris autem hic est difficultas, num externa fidei signa protestatiua fuerint necessaria, vt paruuli iustificarentur; an verò sufficeret interior fides parentum illis applicata?

Duplex est hæc de re sententia: prior asserit hæc signa fuisse necessaria: tenet Dur. dist. 1. quaest. 8. Canus relectione de Sacramentis in genere parte 3. responsione ad 1. & alij. Inimò videtur D. Tho. infra quaest. 68. art. 1. ad 1.

Negat
S. Thom.
Sotus
Vasq.

Posterior censet solum fidem absque vilo exteriori signo sufficere. est D. Tho. infra quaest. 70. art. 1. ad 2. vbi ait: *Ad 2. dicendum quod sicut ante iusti-*

*tationem circumcisionis sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adultos; ita etiam circumcisio datur vbi opponit fidem cuius signo externo, vt facile patet consideranti, & conferenti responsionem cum argumento in contrarium allato. Soti dist. 2. quaest. 1. art. 4. §. *alterum verò dubium*. Valquez disp. 165. cap. 3. & aliorum.*

Hæc sententia est conformior dictis Patrum citatis, qui censent paruulos per solum fidem parentum potuisse acquirere remissionem peccati originalis, & proinde in re obscura videtur probabilior.

Nec obstat quod videantur insinuare circumcisionem fuisse necessariam pro posteris Abraham: id enim dicunt quia putant eam ex opere operato gratiam contulisse. de cætero satis indicant ante illam sufficere solum fidem parentum, & proinde etiam posita circumcisione, iuxta sententiam quam secuti sumus, sola fides parentum sufficit ad deletionem peccati originalis in paruulis Iudeorum, quamvis illi deberent circumcidi, eò quòd præceptum diuinum obligaret parentes ad eos circumcidendos, non quòd circumcisioni vis inesset ad iustificandum, sed alij de causis, de quibus Gen. 17.

101.

Idem vult D. Tho. eum loco citato responsione ad 2. dicit: *Sed antea non requirebatur aliquod signum protestatiuum huius fidei, quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus ceperant adiuuari ad cultum veri Dei.* nam his verbis non vult posita circumcisione eam fuisse necessariam ad iustificationem acquirendam, sed solum fuisse necessariam quia præceptum, fuit verò præcepta vt populus Dei adiuuaretur ad Dei cultum.

Dices ibidem ait parentes fideles pro paruulis natis aliquas preces Deo fuisse, vel aliquam benedictionem adhibuisse, sicut adulti pro seipsis preces & sacrificia offerebant.

Resp. non velle illa fuisse necessaria ad peccati originalis deletionem; quod satis patet, ex eo quòd dicit: *probabile tamen est quòd parentes fideles &c.* sed solum velle quòd ex fide facile mouerentur ad illa adhibenda pro paruulis: quamvis enim fides interior sufficeret, ea tamen facile mouebat fideles ad aliquos actus externos ad Dei honorem, & tanquam signa fidei protestatiua ponendos: cum actus externi moraliter loquendo facile soleant imperari ab internis.

Nec repugnat quaest. 68. citata. nam ibi non vult fidem non sufficere absque externo aliquo signo; sed, cum in argumento proposuisset homines ante Christi aduentum sine baptismo salutem fuisse consecutos, respondet non consecutos sine fide in Christum, cum per fidem futuri aduentus Christo incorporabantur, quam fidem profitebantur sacrificiorum oblatione; non quòd vellet eternam oblationem fuisse necessariam ad deletionem peccati, sed quòd illa tanquam fidei protestatiua facile adhiberetur ab antiquis Patribus.

Confirm. responsio, quia D. Tho. in fine colligens ex suo discursu solutionem argumenti, ait: *& ideo licet ipsam sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem; fides tamen cuius baptismus sacramentum est, semper necessaria fuit.* ex quo colligi potest D. Thom. nullum signum externum requisivisse tanquam necessarium, vt fides antiquis prodesse ad deletionem peccati originalis, alioquin id non prætermisisset, cum argumentum videretur postulare.

Obicitur

Obijciunt 1. August. qui loco à nobis citato & alibi dicit, non esse credendum antiquos Patres nullo Sacramento opitulatos fuisse infantibus.

Resp. August. non sumere Sacramentum sicut communiter à Scholasticis sumitur, neque sumere pro signo externo, sed latiori significatione, prout idem est quod mysterium seu secretum: quod optime potest fidei applicari, quia virtus fidei ad delendum peccatum originale non fuit ita cognita, quamvis ipsa paruulis prodesset. hanc esse mentem Augustini patet ex loco de nuptijs citato, ubi dicit superioribus temporibus latuisse Sacramentum iustificationis ex fide.

Obijciunt 2. quod infantes debuerint initiari cultui diuino more hominibus accommodato, & proinde signo aliquo externo; cum homo constans animo & corpore Deum etiam corpore colat. Confr. non solum fides, sed etiam fidei professio, est ad salutem necessaria.

Resp. fidem abunde sufficere ut infantes apud Deum iniciantur, & proinde non necessariò debuisse initiari externo signo: cuius signi necessitas proacquirenda iustificatione non apparet vel ex Scripturis, vel ex Patribus: quamvis enim homo constans animo & corpore suam fidem facile protestetur signo externo, & ut iam dictum est facile moueatur ad huiusmodi actum ex fide interiori, non tamen est necesse asserere illum fuisse necessarium ad paruulorum iustificationem. Ad confr. respondeo fidei professionem non semper esse ad iustificationem vel salutem necessariam.

Contra: si sola fides suffecerit, & quidem informis, ut supra dictum est, ante baptismi institutionem facilius erat salus paruulis quam post baptismum institutum, quod nullo modo est concedendum, cum sit certa & receptissima sententia viam ad salutem in lege euangelica esse faciliorem quam in lege Mosaica, vel naturæ.

Resp. 1. pene idem sequi, quamuis signum aliquod externum requireretur: cum enim illud saltem pro alijs quam pro masculis Iudæorum non esset determinatum, sed quodlibet posset assumi, utam preces; deberet dici facilius medium delentis peccatum originale, quam in noua lege, in qua est unicum ordinatū medium, scilicet baptismus, & proinde absurdum quod videtur sequi ex nostra sententia, sequitur etiam ex altera: atque adeo propter illud potius dicendum esset non fuisse remedium etiam indeterminatum ad tollendum peccatum originale, quod est contra communem Doctorum etiam prioris sententiæ.

Resp. ergo 2. neg. assumptum: cum enim pauci ante Christum natum veram fidem habuerint, & proinde non potuerint facile moueri ad fidem paruulis applicandam, seu ad applicandum remedium contra peccatum originale, quod in lege euangelica facile applicatur, & dictis non sequitur infantes olim facilius potuisse iustificari quam in noua lege.

Obijciunt 3. Patres docent adultos per sacrificia sibi consuluisse contra peccatum originale; igitur etiam censent signum externum fuisse necessarium pro paruulis.

Resp. neg. consequentiam, cum expressè sentiant solam fidem sufficere, quam omni actui externo opponunt, non autem soli sacrificio prout censent aliqui contrariæ sententiæ: nam particula, etiam vim habet, & in hunc sensum potest accipi, neque vel leuiter apparet Patres aliquem externum actum requisuisse.

Adde adultos potuisse obtinere remissionem peccati originalis sine sacrificio per actum internum dilectionis Dei.

Obijciunt 4. ex dictis sequi antiquos potuisse consulere infantibus in vtero materno constitutis, cum per fidem interiorem potuerint illos Deo offerre; consequens autem non videtur admittendum.

Resp. neg. sequelam, quia de illis nihil habemus ex Patribus, cum semper loquantur de paruulis natis ex vtero. Adde quod constituti in vtero non fuerint humano more inter homines, quibus pro eo statu per alios consuli potuerit.

Circa dicta hoc & præcedenti dubio aduerte, quod dictum est de fide in Christum &c. non ita intelligendum, quasi iudicemus explicitam fidem in Christum &c. fuisse necessariam: solum enim volumus per fidem parentum eis applicatam illos potuisse liberari à peccato originali, siue ea fides debuerit esse explicita, siue implicita, de quo 2.2. in materia de fide agendum est.

Ex dictis facile colligitur resolutio eius quod art. 3. præcedentis questionis in hunc locum reieciimus, scilicet an ante legem scriptam fuerint aliqua Sacramenta propriè dicta, præter circumcissionem: ex ijs enim colligitur non fuisse, cum non videatur Deus instituisse vlla signa, quæ sanctitatem etiam legalem contulerint, & veram animæ sanctitatem præfigurant.

104.

Obiectio 4.

De infantibus adhuc in vtero.

Resp.

Corollar.
Ante legem scriptam nullum fuit Sacram præter Circumcisionem.

QVÆSTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum qui est character.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramentum imprimat aliquem characterem in animâ?

R

ESPONDET affirmatiuè. vbi

Notandum 1. sensum tam articuli quam conclusionis esse indefinitum. nam docet in genere aliqua Sacramenta characterem imprimere.

Notandum 2. V Vicleffum, ut refert V Valden- sis tomo 2. doctrinalis fidei cap. 109. sentire nullum Sacramentum characterem imprimere; quem hac in parte passim sequuntur nostri temporis hæretici.

Scotus in 4. dist. 6. quæst. 9. §. Ad questionem Opinio potest dici, quamvis admittat characterem, censet

tamen neque autoritate neque ratione euidenter probari posse, & proinde videtur existimare sententiam que asserit per aliqua Sacramenta imprimi characterem, solum esse probabilem, in quod etiam inclinat Gabriel eadem dist. quæst. 2. art. 2. conclusione 1. Durand. dist. 4. quæst. 1.

Sed sententia D. Thom. vera est contra hæreticos, quam passim tradunt Doctores; & est de fide certa, definita in Florent. in quo definitur baptismum, confirmationem & ordinem characterem id est spirituale quoddam signum à se ipsis distinctum imprimere in anima, indelebile; & in Trid. sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere. Eadem veritas traditur

Resp. affirm.

Error Wicleff.

Scoti.

Resolutio est de fide.

Florent.

Trident.